LIBELLUS

PRECUM ET PIARUM

EXERCITATIONUM,

IN USUM PIÈ VIVERE

Et Feliciter Mori

DESIDERANTIUM.

M.S.A.LOYS. + JERSEEN.
BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

LIVERPOOL.

EXCUDEBAT ROBERTUS ROCKLIFF.

MDCCCXXIII.

Digitized by Google

INDEX PRECUM.

	Pag.
Professio Fidei	1
Oblatio matutina	4
Modus faciendi quamlibet actionem	7
Modus benè orandi	10
Modus surgendi et orandi manè	13
Modus brevior orandi manè	23
Modus piè studendi	25
Modus audiendi Sacrum	29
Modus dicendi Rosarium	43
Modus piè prandendi aut cœnandi	48
Modus se recolligendi per diem	50
Modus examinandi conscientiam vesperi	64
Modus piè decumbendi	66
Modus ritè confitendi	70
Examen conscientiæ	77
Modus devotè communicandi	90
Modus legendi libros spirituales	111
Modus audiendi Verbum Dei	112
Modus rectè utendi Suffragio	113
Modus gerendi se in lusu, &c.	118
Modus colendi venerabile Sacramentum	121
Communio spiritualis	127
Modus colendi Passionem Christi	131
Horologium Passionis Christi	140
De Septem Doloribus B. V. M.	143
Modus colendi B. V. M.	145
De vitæ statu eligendo	162
Modus se præparandi ad mortem	168
Officium Sanctissimæ Trinitatis	179
Officium Sancti Spiritûs	186
Officium Sanctissimi Nominis Jesu	192
Officium Sancti Angeli Custodis	199
Officium Sanctissimi Sacramenti	206

Digitized by Google

Pag.
Officium Sanctæ Crucis..... 213
Officium Sancti Joseph..... 219
Officium immaculatæ Conceptionis..... 225
Septem Psalmi pœnitentiales..... 235
Litaniæ Beatæ Virginis Mariæ..... 244
Litaniæ Sanctorum..... 246
Exercitium quotidianum..... 257
Oratio ante Confessionem..... 265
Oratio ante Communionem..... 268
Hymnus *Te Deum*..... 274
Veni, Sancte Spiritus..... 276
Pange lingua..... 278
Stabat Mater..... 279
Memorare, ô piissima Virgo..... 283
Domine Jesu, noverim me..... 291
Oratio S. F. Xaverii..... 303
Preces pro fidelibus defunctis..... 308
Preces ad felicem mortem implorandam..... 310
Oratio universalis..... 317
Novem Chori Angelorum..... 318
Modus inserviendi Sacro..... 320
Oratio ante Divinum Officium..... 324
Officium B. M. ad Matutinum..... 326
——— ad Laudes..... 345
——— ad Primam..... 363
——— ad Tertiam..... 369
——— ad Sextam..... 374
——— ad Nonam..... 379
——— ad Vesperas..... 386
——— ad Completorium..... 399
Defunctorum Vesperæ..... 406
——— Matutinum..... 414
——— Laudes..... 434
Psalmi ad Vesperas..... 444
——— ad Completorium..... 456

Digitized by Google

Libellus Precum, &c.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI.

EGO N. firmâ fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; *videlicet:* Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui, propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas; et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; et iterùm venturus est cum gloriâ judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui

Digitized by Google

locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem Peccatorum; et expecto Resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. *Amen.* Apostolicas Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones, firmissimè admitto et amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè et propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria—*scilicet*, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sinè sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali, de justificatione, in sacrosanctâ Tridentinâ Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor, pariter, in Missâ offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis;

Digitized by Google

atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesû Christi; fierique conversionem totiûs substantiæ panis in corpus, et totiûs substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub alterâ tantùm specie, totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et Sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosanctâ Tridentinâ Synodo tradita, definita, et declarata indubi-

Digitized by Google

tanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesiâ damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam inpræsenti spontè profiteor et veraciter teneo, eamdem integram, inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia.

OBLATIO MATUTINA.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Sancta et individua Trinitas, ante thronum misericordiæ tuæ prostratus, omnibus animæ meæ potentiis adoro divinam Majestatem tuam; et agnosco tibi soli deberi omnem amorem, laudem, et gratiarum actionem, propter infinitam tuam bonitatem.

Firmiter credo, et paratus sum profiteri, quicquid revelâsti Ecclesiæ tuæ sanctæ. Spero in misericordiis tuis; amo inexplicabilem bonitatem tuam. Doleo ex animo quòd unquam

Digitized by Google

te offenderim; et ex amore tui omnia peccata mea detestor, et statuo mori potiùs quàm te offendere.

Gratias tibi ago, suprema Deitas, pro omnibus et singulis beneficiis tuis, generalibus et particularibus, notis et ignotis; nominatim verò, pro creatione, redemptione, et vocatione meâ ad Ecclesiam tuam, pro NN. aliisque beneficiis in me omnesque collatis aut conferendis in æternum.

Gratias deinde ago, quòd hâc nocte à multis malis animæ et corporis me custodiens diem hanc ad serviendum tibi dederis.

Deus meus, in gratiarum actionem offero tibi corpus meum, animam meam, intellectum et voluntatem meam, omnes affectiones meas, singulos gressus et motus corporis et animæ meæ, tam vitæ præteritæ et præsentis quàm futuræ, sed omnia hodierna peculiariter; et peto ut ejusmodi sint, ut sisti mereantur apud te.

Cum his tepidis meis actionibus offero tibi corpus et animam Jesu Christi Salvatoris mei; cuncta ejus merita, labores, verba, et opera; quicquid fecit et pertulit in vitâ suâ, jam inde à conceptione usque ad mortem.

Omnia item merita Sanctissimæ Virginis Matris ejus, Sancti Angeli Custodis mei, Sanctorum Patronorum meorum, Sanctorum præsentis diei, et quorum reliquias habeo, omniumque in cœlis Sanctorum et Angelorum.

Digitized by Google

Similiter tibi offero omnia justorum opera et pœnitentias; omnia Missæ sacrificia, quæ hodiè, aut unquam, per orbem universum, oblata tibi sunt, aut offerentur. Cumulatum hunc Ecclesiæ thesaurum actionibus meis tepidis unitum offero.

Primò et peculiariter ad æternam divinæ Majestatis tuæ laudem, et gloriam; ad venerationem et cultum sanctissimæ humanitatis Domini mei Jesû Christi; ad honorem Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Angeli Custodis, Sanctorum NN. Patronorum meorum, Sanctorum præsentis diei, et quorum reliquias habeo, omniumque in cœlis Sanctorum et Angelorum, quorum hodiè, et semper, hîc et ubîque imploro intercessionem et auxilium.

Offero quoque eamdem Oblationem in satisfactionem pro peccatis meis, et omnium amicorum meorum, præsertim verò pro NN. et omnibus peccatoribus, ut nos hodiè ab omni malo corporis et animæ præserves; denique, ut quales decet nos esse et tu cupis, tales nos reddas, in omnibus et singulis vitæ et mortis nostræ actionibus.

Idem quoque offero pro NN. et omnibus illis pro quibus pollicitus sum orare, aut orare teneor, aut pro quibus tu me orare desideras; ut nos ab omni malo defendas, et in omni virtute perficias.

Pro obtinendis omnibus Indulgentiis, ulli actioni hujus diei annexis; pro felice morte

Digitized by Google

omnibus Ecclesiæ sacramentis munitâ; denique pro universâ Ecclesiâ, ut quisquis in eâ, juxtà statum suum, tibi perfectè et integrè famuletur.

Satisfactoriam partem dono animabus in Purgatorio, præsertim iis quæ proximè liberandæ, quæ diutissimè ibi fuerunt detentæ, quæ devotæ fuerant Christi passioni, Beatæ Mariæ Virgini, Angelo Custodi, &c. Nominatim verò pro NN, et iis, quibus causa fui aut occasio ut ibidem detinerentur; hoc inductus motivo, ut, cùm ipse tibi tam ingratus existam in terris, aliis sim causa ferventer te amandi in cœlis. *Amen.*

MODUS GENERALIS RECTE FACIENDI QUAMLIBET ACTIONEM.

ACTIO mala numquam potest rectè fieri. Ergò ut aliqua actio rectè fiat, debet esse bona in se, aut saltem indifferens, quæ, accedente bonâ intentione, bona fieri possit.

Tria porrò servanda sunt ante quamlibet actionem.

I. *EXCITANDUM est desiderium vehemens debitam diligentiam in susceptâ actione adhibendi:—quale est hoc.* Bone Deus, desidero medullitùs amare te, quantùm possum, in hâc actione.

II. *Debet dirigi in Deum finem ultimum,*

Digitized by Google

aut saltem fieri ex aliquâ supernaturali intentione, quâ mediante, in Deum referatur. Idcircò optima intentio formanda, imò plures ad majus meritum, eidem actioni præfigendæ:—v. g.

1. Ut Deum honorem et sanctificem.
2. Ut merear regnum cœlorum.
3. Ut faciam voluntatem Dei.
4. Ut impetrem quotidiana corporis et animæ bona.
5. Ut dimittantur mea debita, seu peccata.
6. Ut non incidam in tentationes et periculum peccandi.
7. Ut ab omni malo culpæ et pœnæ liberer.
8. Ad honorem Beatissimæ Virginis, Angeli mei Custodis, totiûsque Ecclesiæ triumphantis.
9. Ad utilitatem meam, amicorum, inimicorum, totiûsque Ecclesiæ militantis.
10. In auxilium fidelium defunctorum.

III. *Petenda à Deo humillimè gratia ad susceptam actionem ritè exequendam, hâc vel simili formulâ.* En ante te desiderium meum, Deus; da quod jubes, et jube quod vis. *vel.* Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.

In actione ipsâ servanda sunt itidem tria.

I. DEBET *Intellectus attendere actioni præsenti, nec variis cogitationibus distrahi; considerando quomodo Christus, Beata Virgo, aut Sancti fecerint talem actionem;*

Digitized by Google

renovando subinde vivam memoriam Dei præsentis, nos intuentis, præmia offerentis, minas intentantis.

II. *Voluntas debet sæpè excitare desiderium benè agendi, renovando plerasque ex intentionibus præfixis, et assiduè implorando opem divinam.*

III. *Omnes vires corporis et animi seriò applicandæ sunt omni meliori modo, quo à nobis fieri potest, ne Sanctus Spiritus nobis objiciat illud Jeremiæ* 48. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. *Ex Versione* 70.

Post Actionem deniquè tria iterùm servanda.

I. *EXAMEN instituendum, perfecténe actio sit peracta.*

II. *Si benè successit, gratiæ agendæ Deo; si malè, petenda venia.*

III. *Conatus noster offerendus Deo in unione meritorum Christi, Beatæ Virginis, et Sanctorum omnium; hoc, vel simili modo.* Suscipe, ô pie Jesu, hoc imperfectum obsequium meum, in unione tuorum sanctissimorum meritorum, Beatæ Virginis, et Sanctorum omnium, ad prædictas intentiones; supple, et satisfac pro me, plenissimè.

Possunt aliæ intentiones addi supradictis, vel earum loco usurpari;—v. g. Hoc volo agere, vel sustinere,

1. Ut gratus sim Deo, pro infinitis beneficiis mihi aliisque collatis.

Digitized by Google

2. Ut consequar virtutem N. mihi necessariam.

3. Ut superem vitium N.

4. Ut aptior reddar officio meo.

5. Ut aliquo modo imiter Christum Dominum ejusque Sanctos.

6. Ut crescam et perseverem in bono.

7. Ut sim aliis bono exemplo.

8. Ut stem promissis vel bonis meis propositis.

9. Ut lucrer Indulgentias, si quæ tali actioni, per numisma benedictum, vel regulas Sodalitatis, vel aliter annexæ sint.

10. Ut sortiar beatam mortem.

Nota hanc praxim præfigendi eidem actioni plures intentiones fuisse examinatam et probatam à R. P. Leonardo Lessio, *Doctore Theologo Societatis Jesu, et iteratis prelis Lovanii vulgatam.*

Eòdem facit assertio ibídem nuper impressa, quæ sic se habet. Multiplicatis solis intentionibus, multiplicari posse actuum merita, etiam theologicè asseritur. Et quidni sic Virgo Mater consideraverit, et operata fuerit, et viderit quia bona esset negotiatio ejus.

MODUS GENERALIS BENE ORANDI.

AD utiliter et cum fructu orandum, quædam facienda sunt ante orationem, quædam in ipsâ oratione.

Digitized by Google.

Antequam incipiamus orare, expedit:

I. UT nos cruce signemus; hâc enim invocamus opem Dei, preces illi nostras offerimus, munimur contra distractiones et assultus inimicorum.

II. Ut consideremus pro quo, et cujus rei causâ, effundere velimus preces; quæ quidem debet esse salutaris atque divinæ voluntati conformis.

III. Ut attentè ac piè precandi desiderium in animis nostris excitemus.

IV. Ut petamus gratiam benè orandi; et Divæ Virgini Angeloque nostro Custodi nos commendemus.

In ipsâ Oratione conemur precari:

I. CUM verâ Fide, persuadendo nobis Deum nos et posse et velle juvare; et quòd ipse non solùm auscultat nostram orationem, sed et intelligit.

II. Cum Spe, confidendo nos exaudiendos, si quemadmodum decet oraverimus.

III. Cum Charitate, ut simus in gratiâ Dei, vel saltem cum aliquo peccatorum nostrorum dolore.

IV. Cum Humilitate ac Reverentiâ, tanquam in conspectu Dei et Sanctorum, quibuscum loquimur.

V. Cum spiritûs Fervore. Ad hunc autem animi fervorem incitare nos debet consideratio commodorum, quæ profluunt ex hujusmodi

Digitized by Google

oratione ; per eam enim virtutum augmentum meremur, debitorum, quæ pro peccatis nostris contraximus, partem solvimus, impetramus quod à Deo petimus, et spirituali consolatione perfundimur.

VI. Cum Attentione, omnibus aliis cogitationibus exclusis. Possumus autem ad hæc attendere—aut ad verba, quæ pronuntiamus ; aut ad verborum significationem ; aut ad eum, quem oramus ; aut ad rem, quam pro nobis vel aliis petimus.

Remedia contra Distractiones.

CUM animi evagationes orationis fructus impediant, necesse est, ut sciamus remedia quibus eas avertamus ; quorum primum est, ad orandum debitam, ut anteà dictum est, adhibere præparationem.

II. Cogitare in cujus præsentiâ simus, et quocum nobis negotium sit.

III. Non circumspicere ; res enim vel minima, quæ in oculos incurrit, distractionem efficere potest.

Ut autem quæ mentem subiit distractionem depellamus, remediis etiam nonnullis opus est.

1. Ut simul ac advertimus, illam pellamus ; cogitemusque aut de Deo, aut ad verborum, quæ pronuntiamus, significationem, aut ad rem, quam oratione nobis donari petimus, attendamus.

2. Dei, Beatæ Virginis, et Sancti Angeli tutelaris opem postulemus.

Digitized by Google

3. Si distractio quodammodò fuerit voluntaria, supplices à Deo veniam petamus; proponamusque deinceps non amplius spontè distrahi. Nec est quòd magnoperè commoveamur, si peregrinæ, invitis nobis, cogitationes irrepant, cùm culpâ vacemus.

Absolutis precibus, hanc subjiciamus Orationem.

SUSCIPE, clementissime Deus, precibus et meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum et Sanctarum, officium servitutis nostræ; et si quid dignum laude egimus, propitius respice, et quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui in Trinitate perfectâ vivis, et regnas per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

MODUS SURGENDI, ET ORANDI MANE.

SOLET dæmon primis diei curis et cogitationibus vehementer insidiari, quòd sciat eas ad reliquam diei constitutionem plurimum habere momenti. Idcircò, statim ac evigilas, pronuntia hæc sacra nomina,—Jesu! Maria! Joseph! *Deinde fac signum crucis,* ✠ In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen; *et dic,* Abrenuntio tibi, Satana; adhæreo tibi, Christe.

Digitized by Google

Tùm pasce mentem bonis cogitationibus, et cor inflamma piis affectionibus; his vel similibus.

Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. *Aug.*

Quid tibi sum ego, ut amari te jubeas à me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parvane est ipsa miseria, si non amem te? *Aug.*

O bone Jesu, esto mihi Jesus.

O dulcis Virgo Maria, monstra te mihi esse matrem.

O beatissime Joseph, dirige quidquid agam, aut patiar, in vitam æternam.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ hodiè illumina, custodi, rege, et guberna. *Amen.*

Hæc vel similia repete, dùm hora surgendi adveniat. Debet autem illa determinata esse, et affixa certo tempori, ut non, modò maturè, modò seriùs surgas pro libitu, sed constanti tenore, eâdem fermè horâ; quæ cùm advenerit, noli disputare cum pulvinari tuo an surgendum sit, sed, tibi vim faciens, promptè surge, et formans iterùm signum Crucis, dic:

In nomine Domini nostri Jesu Christi, pro me crucifixi, surgo. Qui me redemit suo pretioso sanguine, ille me benedicat, regat, custodiat, et confirmet in omni bono opere, hodiè,

Digitized by Google

et quotidiè, et post hanc miseram vitam perducat me in vitam æternam. *Amen.*

Tum memor præsentiæ Dei et Angeli Custodis, non minùs modestè te induas, quàm si ab aliquo viro gravi videreris. Dùm te vestis et corpus componis, cum Ecclesiâ has preces memoriter recita.

JAM, lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet à nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror insonet;
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia;
Carnis terat superbiam
Potûs cibique parcitas.

Ut cùm dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne sæculum. *Amen.*

Dignare, Domine, die isto,
Sinè peccato nos custodire.

Digitized by Google

Miserere nostri, Domine,
Miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
Quemadmodum speravimus in te.
Domine, exaudi orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOMINE Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodiè salva virtute; ut in hâc die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodiè corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros in lege tuâ, et in operibus mandatorum tuorum; ut hîc, et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde, flexis genibus, ante Oratorium recitabis.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;
Imple supernâ gratiâ
Quæ tu creâsti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,

Digitized by Google

Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinùs;
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. *Amen.*

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Digitized by Google

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet; et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica, per infusionem Sancti Spiritûs, cogitationes cordis nostri; ut te perfectè diligere, et dignè laudare, omniaque nostra studia semper ad tuam gloriam referre valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Hîc ex regulâ Sodalitatis dices ter Pater *et* Ave; *ac semel* Credo, *et* Ant. Beatæ Virginis Mariæ *pro tempore.*

Gratiarum Actio, Oblatio, Petitio.

DEUS honorande, tremende, adorande, quia me creâsti ad imaginem et similitudinem tuam, debeo me amori tuo totum; quia me redemisti pretioso sanguine tuo, debeo me amori tuo totum; quia me sanctificâsti per lavacrum regenerationis in sanguine tuo, debeo me amori tuo totum; quia me vocâsti ad sanctam Fidem et Ecclesiam Catholicam, debeo me amori tuo totum; denique, quia me hactenùs beneficiis cumulâsti, et ab omnibus malis corporis et animi, hâc nominatim nocte, liberâsti, debeo me amori tuo totum. Pro his igitur beneficiis, Pater amantissime, gra-

Digitized by Google

tias divinæ bonitati tuæ ago, non quas debeo, sed quàm possum maximas, ideòque coràm sacratissimâ Virgine Mariâ, et curiâ tuâ cœlesti universâ, divinæ Majestati tuæ offero meipsum totum, cogitationes, sermones, actiones omnes, unà cum Domini mei Jesu Christi ac Filii tui dilectissimi passione et morte, ad laudem et gloriam nominis tui.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ prorsùs voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones; et dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.

Conserva in me, benignissime Deus, contra omnium inimicorum insidias, sanctam imaginem et similitudinem tuam, ad quam me formâsti. Largire Intellectui meo, ut in verâ tui cognitione quotidiè incrementum accipiat; Voluntati meæ, ut terrena omnia despiciat, teque solum, in omnibus, et præ omnibus, purâ intentione quærat, et diligat; Memoriæ etiam meæ da, ut assiduâ meditatione sanctissimæ voluntatis tuæ, et beneficiorum tuorum recordatione impleatur. Concede omnibus viribus et potentiis animæ meæ, ut tibi perfectè in omnibus subjiciantur; et corpus hoc terrenum, quod aggravat animam, cum omnibus sensibus et membris, tanquam arma Justitiæ et Sanctimoniæ, in conspectu tuo

Digitized by Google

semper exhibeam; atque adeò purâ verâque Fide, Spe, Charitate, et rerum omnium despicientiâ, eò contendam totus, ad quod conditus sum, et redemptus pretioso Christi sanguine. *Amen.*

Orationes ad B. V. Mariam.

I. SANCTA Maria, Mater Dei et Virgo, ego N. te hodiè in Dominam, Patronam, et Advocatam eligo, firmiterque statuo ac propono, me numquam te derelicturum, neque contrà te aliquid umquam dicturum aut facturum, neque permissurum ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem umquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in horâ mortis.

II. O Domina mea, Sancta Maria, Mater Dei et mea, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodiè, et quotidiè, et in horâ exitûs mei, animam meam et corpus meum tibi commendo. Omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitæ meæ, tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundùm tuam tuique Filii sanctissimam voluntatem. *Amen.*

III. O Regina Virginum, Maria, amantissima Mater mea, ecce benignissimus Jesus Filius tuus Virgo, Joannem Virginem, et me indig-

Digitized by Google

nissimum, tibi Virgini moriens in filium adoptavit. Obsecro te igitur per amorem, sanguinem, et mortem ejus suscipe me in filium, quia Filium tuum et te toto corde diligo, atque eligo in Matrem, et, si placet tibi, cum *Bernardo* et *Edmundo* tuo, in Sponsam; æmulusque puritatis tuæ statuo potiùs mori, quàm cogitatione, verbo, opere, vel minimùm inquinari. Te siquidem sequi cupio, et Jesum agnum quocumque ierit; et cum sponso tuo *Joseph*, et Angelo Custode, puritatem servare angelicam in æternum. Accipe igitur, et serva, ô dulcissima Mater, cor, animam, et corpus meum, quæ tibi dico et consecro in æternum. *Amen.*

Ad S. Josephum.

SUPPLEX te rogo et obtestor, ô beatissime *Joseph*, digneris, ante conspectum Domini, mei miserrimi peccatoris recordari, ut, tuis meritis et precibus, ab omnibus tùm corporis tùm animi malis defendar, et in omni virtute et opere bono proficiam. *Amen.*

Ad Angelum Custodem.

OBSECRO te, Angelice spiritus, custos meus, et tutor meus fidelissime, ut in viâ pacis, prosperitatis, et salutis te duce dirigar, atque ab omni spiritu malo gravique tentatione defendar, ut peccata omnia fugiam, virtutesque Christiano dignas exerceam, sicquè Deo meo tecum in patriâ fruar. *Amen.*

Digitized by Google

Ad omnes Sanctos.

OMNES Sancti et Sanctæ Dei, tu præsertim ô Sancte N. cujus ego indignus nomen gero, cæterique omnes patroni mei, Sancte N. Sancte N. &c. et patronæ meæ, Sancta N. Sancta &c. intercedite pro me ad Dominum, ut merear ab eo in studiis meis et actionibus juvari. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio, quâ alios Deo commendes.

DOMINE Deus omnipotens, Pater ac Redemptor omnium, exaudi me pro omnibus Ordinibus tibi supplicantem, ut eos secundùm voluntatis tuæ beneplacitum dirigas in vitam æternam. Nominatim rogo, ut in tuam fidem et protectionem suscipias omnes meos Parentes, Præceptores, Superiores, Propinquos et Benefactores, Amicos, Inimicos, Subditos, Æquales, Hæreticos, Infideles, mortales denique omnes, ut te cognoscant, tibi serviant, tuæque voluntati per omnia se conforment, eisque in omnibus actionibus, negotiis, bonisque cœptis præsto sis, quò omnis eorum vita et labor honori tuo serviat, et ipsorum salutem promoveat. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Amen.*

Digitized by Google

MODUS BREVIOR ORANDI MANE,

Disticho contentus.

1. *Sis gratus.* 2. *Cor offer.* 3. *Opus dispone futurum.* 4. *Vita peccatum.* 5. *Subsidiumque pete.*

1. *Sis gratus.*

ADORO et veneror te, ô sanctissima Trinitas, te glorifico, laudo, benedico; tibi gratias ago pro universis beneficiis creationis, conservationis, redemptionis, aliisque, ac nominatim pro hâc nocte feliciter transactâ. Et quot, eheu! jam è suo cubili ad tuum tribunal et inferos rapti! *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodiè.* Isaiæ xxxviii.

2. *Cor offer.*

O Pater æterne, ad te primum suspirium et æstus cordis mei! Tibi me totum, qualemcumque, quantulumcumque, et omnes animæ vires, et corporis sensus, et omnia offero et immolo. Suscipe, mi Pater, hos novi diei primos amores, eosque incendio charitatis Filii tui meritisque conjunge. *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei!* Ps. lxxii.

3. *Opus dispone futurum.*

ECCE, amantissime Jesu, te adspirante firmiter statuo ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi Christiani officium

Digitized by Google

et partes explere, talia et talia pietatis munia obire, universa deniquè et singula, in nomine tuo, et facere et pati. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!* Ps. cxviii.

4. *Vita peccatum.*

VENI, succurre, Sancte Spiritus. Adeóne volens vidensque ferocium me morsibus belluarum, id est, peccatorum objiciam? Et huic vitio N. me spontè ingeram? Ah! nimiùm isthîc lapsus sum! Meliora, Deus meus, meliora. Amabo te super omnia in æternum. Dehiscat mihi antè tellus absorbens me, quàm offendam te. Malo mori, millies malo mori. Tu precor, in hoc discrimine, anhelantem præsens robora, qui spopondisti: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Ps. xc.

5. *Subsidiumque pete.*

ADESTE mihi pariter, ô beatarum agmina mentium! Èja præ reliquis, piissima Virgo, Dei et mea optima Mater, cum castissimo tuo sponso Sancto Joseph, succurre. Tuque, mi Angele Custos, vosque ô vitæ meæ Patroni, et Sancti omnes, præsertim hâc ipsâ luce celebres, inopem juvate, ducite cæcum et claudum. Tu verò præ omnibus adspira, Deus meus et omnia! Si quidem *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Ps. xxx.

Absorbeat, quæso, Domine, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore

Digitized by Google

amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori! *Amen.*

MODUS PIE STUDENDI.

Ex S. Bernardo, Lib. Med. cap. 1. et Serm. 36. in Cant.

Quo fine litteris incumbendum.

MULTI multa sciunt, et seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, et seipsos deserunt. Deum quærunt per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Sunt namque, qui scire volunt, eo fine tantùm, ut sciant; et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; et turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, *v. g.* pro pecuniâ, pro honoribus; et turpis quæstus est. Et item, qui scire volunt, ut ædificentur; et prudentia est. Uti ergo cibus ingestus, et qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, et corrumpit corpus, et non nutrit; ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et sic per quosdam quasi artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores. *Scienti* enim *bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Jacobi iv.

Digitized by Google

Aggressurus studia.

I. EXCITA desiderium valdè proficiendi in litteris, sive sit lectio, sive scriptio, quam aggrederis. *Multitudo* enim *sapientium*, inquit Sapiens, (cap. vi,) *sanitas est orbis terrarum.*

II. Studiis tuis has intentiones poteris præfigere—*v. g.* Volo studere:

1. Ut consequar veram sapientiam, non verò plausum, inutilem scientiam, aut lucrum.

2. Ut vitem otium et prava consortia.

3. Ut sim aliquando Ecclesiæ auxilio.

4. Ut imiter illos Sanctos, qui studiis olim fuerunt dediti.

5. Ut fiam aptum Dei instrumentum ad omnia.

III. Exemplo Sancti Thomæ Aquinatis, et aliorum Sanctorum, implora opem divinam.

Oratio S. Thomæ.

CREATOR ineffabilis, Domine Deus, ac Deus meus, qui de thesauris sapientiæ tuæ novem Angelorum choros condidisti, et eos super cœlum empyreum miro ordine collocâsti, atque elegantissimè partes Universi distribuisti; tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiæ diceris atque supereminens principium, infundere digneris super intellectûs mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices à me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam, in quâ natus sum. Tu qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam

Digitized by Google

erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, et loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Alia brevior S. Fulgentii.

ROGO te, veritas, Deus meus, ut quæcumque salubriter scienda nescio, doceas me; in his quæ vera novi, custodias me; in quibus ut homo fallor, corrigas me; in quibus veris titubo, confirmes me; et à falsis ac noxiis eripias me. *Amen.*

Alia ex Salomone.

EMITTE, Domine, sapientiam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te, omni tempore; scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobriè, et custodiet me in sua potentiâ. *Amen.*

Dum studes.

SERVA modum quem tibi Præceptor tuus suggesserit, à cujus nutu pendebis in omnibus. Hoc tantùm te monitum volo, ut in omnibus difficultatibus, exemplo Sanctorum omnium, ad Deum, vel Beatam Virginem, vel Angelum Custodem, brevibus aliquot suspiriis recurras: qualia sunt—

Digitized by Google

Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.

O lumen, quod semper luces, et nunquam offuscaris, illumina me.

Veni, Sancte Spiritus, et emitte cœlitùs lucis tuæ radium.

Ad Beatam Virginem.—Profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce.

Angele Dei, me tibi commissum, pietate supernâ jam illumina, custodi, rege, et guberna. *Amen.*

Hæc omnia, aut pleraque horum, servanda sunt etiam in Scholâ.

Quædam monita pro tempore Scholæ.

I. CURA ut maturè semper adsis, et Scholam ingressus, tua studia Deo, Beatissimæ Virgini, et Angelo Custodi breviter commenda.

II. Recitatâ lectione, librum accipe, et solus tecum lectiones discute, vel ejusmodi quidpiam age, nè otium, quod est pulvinar Diaboli, apud te locum habeat.

III. Signo crucis, cum Magistro, te munies. Deinde in tuo loco ritè compositis membris, vestibus, libris, præscripta exequêris. Inscitum quippe est ac illiberale, Magistro volente quidpiam, alia legere atque agere, sociosque impedire.

IV. Cujuscumque legatur scriptio, tuam tibi legi existimes; et quicumque interrogatur, te interrogari ducas. Ideò tacitus tecum solâ

Digitized by Google

mente responde, et quæcumque corriguntur sic observa ac si hæc in tuâ scriptione reprehenderentur.

V. Quæcumque à Magistris tibi graviora fortassè, quàm velles, imponentur, ea sic accipe, ut ab amantissimo tui profectûs paternoque animo profecta.

VI. Nunquam sit opus mandatum aliquod iterare; sed simul ac Magister jusserit, pareatur.

VII. Nè agas cum ullo alio, aut linguâ, aut nutu, aut gestu, aut aspectu, aut ullo alio modo.

VIII. Nullam unquam lectionem ignora, nisi morbus aut summa necessitas facultatem discendi denegârit.

IX. Non solùm in Scholâ, sed ubique latino sermone semper utêris.

X. Ad pulsum horarum, mente paulisper à studiis ad cœlum conversâ, Deo tuo qualescumque temporis elapsi labores offeres, et ad sequens meliùs impendendum gratiam implorabis.

MODUS AUDIENDI SACRUM.

Considerando præcipua Vitæ et Passionis Christi Mysteria.

MISSÆ sacrificium repræsentatio est sacrificii à Christo Jesu in cruce peracti. Quocirca modus audiendi Sacri optimus, ma-

Digitized by Google

joris meriti et consolationis, is est, in quo, toto decursu Sacrificii, vita et passio Christi mente et affectu decurritur. Quod ut facias—propone tibi in Sacerdote Christum patientem; ut in ejus coronâ, spineum Christi diadema; in capitis amictu, velum faciei; in albâ, vestem ab Herode injectam; in cingulo, manipulo, stolâ—funes, catenas, vincula; in casulâ, chlamydem purpuream; in cruce casulæ, enorme Crucis lignum.

Ad Confiteor, *repræsentatam habes culpam Adami; ad* Kyrie Eleïson, *suspiria Prophetarum; ad* Gloria, *seu* Dominus vobiscum, *Christi nativitatem; ad* Collectas, *ipsius lacrymas, gemitus, orationes; ad* Offertorium, *patiendi desiderium; ad* Sanctus, *ingressum in Jerusalem; ad* Elevationem Hostiæ, *crucifixionem; ad* Calicem, *sanguinis effusionem; ad* Pater, *septem verba in cruce prolata; ad* Fractionem Hostiæ, *mortem et separationem animæ Christi à corpore; ad* Injectionem particulæ Hostiæ in Calicem, *descensum ad inferos; ad* Communionem, *sepulturam, et fructum uberem Passionis; ad* Dominus vobiscum, *resurrectionem, et varias apparitiones; ad* Ultimam Benedictionem, *ascensum in cœlos.*

Igitur, facto signo crucis et renovatâ intentione, sic te parabis ad sacrum audiendum.

CLEMENTISSIME Pater misericordiarum, et Deus totiûs consolationis, qui non semel tantùm Filium tuum unigenitum in

Digitized by Google

cruce nostræ reparationi impendisti, sed ejus oblationem tibi acceptissimam in Ecclesâ tuâ quotidiè renovari, ad ejus fructum in nobis innovandum, voluisti; tribue nobis, quæsumus, tam admirando huic et tam salutari tuæ pietatis mysterio sic attentè, reverenter, et amanter interesse, ut ejus participationem quàm efficacissimè consequi valeamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

Mater pietatis et misericordiæ, Virgo Maria, rogo te, ut sicut Filio tuo in Cruce pendenti astitisti, et simul cum illo, sacrificium corporis et sanguinis ejus, in mundi redemptionem, Deo Patri obtulisti; ita et nobis omnibus, huic sacrificio hodiè præsentibus, clementer assistere digneris, ut tuis adjuti precibus, dignam et acceptabilem hostiam summæ Trinitati offerre, et divinos ejus fructus percipere valeamus. *Amen.*

Ad Confiteor, *tibi culpam Adami repræsenta, propter quam Deus ipsum ex Paradiso in exilium relegatum, infinitis pœnis et miseriis, morte denique ipsâ condemnavit. Nec hîc divina stetit justitia; eadem enim pœna omnes Adæ posteros involvit, qui ex radice infectâ nascuntur filii iræ. Nec post tot sæcula, ea est oblivioni mandata injuria, licet inter tot homines distributa, tantisque pœnis castigata; quin imò quotquot, ab orbe condito, huc usque homines flagella passi sunt, et quotquot in inferno ardent animæ, sunt quasi scintillæ ab hâc primâ culpâ originaliter provenientes. Agnosce, igitur,*

Digitized by Google

quàm necessarius fuerit Redemptor; et dole de tuis et aliorum peccatis.

O DEUS meus, omne bonum meum, doleo, purè propter te, quòd unquam offenderim te, infinito honore, amore, obsequio dignissimum. Ex momento hoc, omnium Sanctorum possibili affectu, te tuumque beneplacitum amplector, amplectarque æternùm. Da quod jubes, et jube quod vis.

O Jesu cordis mei, quàm bonus fuisti semper erga nos, quàm ingrati nos semper erga te! Ignosce, supple per te. Fiat in nobis, de nobis, à nobis, semper in omnibus, tuum sanctissimum beneplacitum, ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

Ad Kyrie, *tibi repræsenta suspiria Prophetarum desiderantium unicè Christum, tanquam omnium malorum remedium. Dicebant:*

EMITTE agnum, Domine, dominatorem terræ. Utinam disrumperes cœlos, et descenderes. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem.—*Dic tu, cum sanctis Patribus:* Veni Domine, et noli tardare.

Ad Gloria, *vel* Dominus vobiscum, *considera Christi Nativitatem, et dic:*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in frigoris asperitate editus, panniculis involvi, et vagiens in præsepio reclinari, ma-

Digitized by Google

ternisque uberibus infantulus lactari non recusâsti. Adoro te, charissimum Redemptorem meum, Regem Angelorum. Ave puer amabilis, Deus excelse, Jesu suavissime! Ave Princeps pacis, Lux gentium, Salvator desiderabilis. Da, Domine, ut verè humilis, verè pauper spiritu coràm te semper assistam. Da ut molesta quæque, pro tuo nomine, libenter perferam; et nihil in hoc mundo præter te amem, nihil præter te possidere cupiam.

Ad Collectas, Epistolam, Evangelium, *repræsenta tibi Lacrymas, Gemitus, Orationes, Miracula, Prædicationem Christi, et dic:*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui plurimos labores sustinuisti, dum tu, mundi Salvator, conversionem animarum sitiens, pernoctabas in orationibus, fatigabaris itineribus, discurrebas de regione in regionem, de civitate in civitatem, de pago in pagum, de castello in castellum. Amor tui, quæso, reddat me ad bona quæque promptum et agilem, ut in servitio tuo numquam piger sim. Effice ut omnium salutem ardentissimo desiderio semper expetam, et, quantum in me est, promoveam. Effice ut tui honorem ubique zeler, et pro illo me totum impendam.

Poteris etiam dicere ad Collectas:

EXAUDI, Pater, quidquid Ecclesia Catholica, in Filii tui nomine, pro nostrâ necessitate petit; et concede ne quid contra

Digitized by Google

voluntatem vel honorem tuum unquam petamus.

Ad Epistolam.

O SEMPITERNA Patris Sapientia, jube et da, ut, per gradus humilitatis, de virtute in virtutem ascendamus. Concede nobis, ut de tribulationibus ad æterna gaudia, Christum Jesum imitantes, perveniamus.

Ad Evangelium.

DOMINE Jesu Christe, qui Evangelium vivo ore prædicâsti mortalibus, aperi, quæso, mentes nostras, ut huic verbo tuo salvifico sincerâ charitate ad finem usque constanter adhæreamus. *Amen.*

Ad Offertorium, *considera desiderium patiendi quo Christus flagrabat, et offer te et tua omnia Deo Patri, sic:*

CLEMENTISSIME Pater, fac me dignum, ut offeram tibi merita vitæ et mortis dilectissimi Filii tui. Ecce nunc ego, in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, offero tibi intellectum, voluntatem, et memoriam meam, cogitationes, verba, opera, labores, gaudia, bona omnia, vitam denique, et quidquid possideo, aut possidere possum, per omnem æternitatem; idque per manus Beatæ Virginis Mariæ, et Sanctorum Angelorum qui huic Sacrificio assistunt.

Digitized by Google

Ad Sanctus, *repræsenta tibi ingressum in Jerusalem, &c.*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui *Jerosolymam* adveniens, mitis ac mansuetus super asinam sedisti, et inter laudes, quæ tibi à turbis obviam properantibus canebantur, fudisti lacrymas, deflens urbis excidium, largire mihi intimam mei ipsius cognitionem, ut quàm indignus sim videam, meque profundissimè humiliem et despiciam. Utinam neque laudibus, neque favoribus hominum, unquam oblecter; sed interioribus pœnitentiæ amorisque lacrymis utiliter vacem. Utinam aliorum incommoda, tanquam mea ipsius, præsentiam; et aliena peccata, ut propria, pio corde defleam. *Amen.*

Hîc facias Memento pro Vivis *hoc modo:*

MEMENTO, clementissime Pater, per passionem et mortem dilectissimi Filii tui, Ecclesiæ tuæ sanctæ, illamque, ceu sponsam Filii tui, protege, sanctifica, et exalta; ejusque præsides et ministros Spiritu Sancto reple, ut te totâ virtute, sicut scis et vis, per se suosque subditos glorificent.

Memento etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, consanguineorum, amicorum istorum N. N. et istarum N. N. &c. omniumque, pro quibus me vis orare, et eos peculiari gratiâ tuâ dirige, protege, et in viâ salutis promove.

Digitized by Google

Ad Elevationem Hostiæ et Calicis, *considera crucifixionem Christi, et sanguinem è vulneribus ejus profluentem, eliciendo actus adorationis, fidei, spei, contritionis, amoris, zeli gloriæ Dei; his, vel similibus suspiriis:*

O JESU, Fili Dei et Mariæ Virginis, Dominus meus et Deus meus, infinitè amabilis, qui amore mei crucifigi dignatus es, adoro, amo, et glorificò te, cum Patre et Sancto Spiritu, omnium creaturarum possibilium possibili affectu; et ex animo desidero, ut adoreris, ameris, glorificeris infinities, ab omnibus, in omnibus, super omnia, omni possibili modo, gratis, propter te, nunc, semper, in æternum, et ultrà. Credo in te, spero in te, amo te, et quidquid amas, propter te. Doleo purè propter te, quòd unquam offenderim te; ignosce, indulge, supple per te. En, ex hoc momento, paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus sum, posside me quoque in æternum, et tuæ voluntati penitùs conforma. Pater, respice in faciem dilectissimi Filii tui, quem tibi in sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiationis offero; et per illius lacrymas, sudorem, et sanguinem, per gemitus et suspiria, per labores et obsequia, per dolores et supplicia, per infinita ejus merita miserere mei, et omnium pro quibus mortuus es, gratiam largiens te perfectè semper amandi, tuamque sanctissimam voluntatem amplectendi et exequendi, in tempore, et æternitate.

Digitized by Google

Memento *pro Defunctis.*

PER eundem dilectum Filium tuum miserere, misericordissime Pater, animarum Fidelium Defunctorum, maximè horum N. N. omniumque pro quibus me vis præcipuè orare; veniam et requiem æternam illis clementer indulgendo, ut te æternùm benedicant, laudent, et glorificent, cui debetur omnis laus, honor, et gloria.

Ad Pater, *considera septem Verba Christi in cruce prolata. Sunt autem hæc:*

I. PATER, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. *Et tu, cum Christo, ora pro inimicis tuis, omnia ipsis condonando.*

II. Amen, dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso. *Hîc roga cum latrone admitti in cœlum.*

III. Mulier, ecce Filius tuus. *Deinde,* Ecce Mater tua. *Hîc pete filialem affectum erga Beatam Virginem, et accipe illam in Matrem, uti Sanctus Joannes fecit.*

IV. Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *Hîc, ne aliquando à Deo deseraris, statue nunquam ipsum per peccatum deserere.*

V. Sitio. *Hîc pete majorem salutis tuæ et aliorum curam, et animarum zelum.*

VI. Consummatum est. *Roga ut consummet in te Christianæ vitæ debitum, quod in virtutum omnium perfectione consistit.*

VII. Pater, in manus tuas commendo spi-

Digitized by Google

ritum meum. *Hîc te totum divinæ Providentiæ resigna, et projice in Deum.*

Ad Divisionem Hostiæ, *considera mortem Christi, et separationem animæ à corpore. Aptè hîc dices:*

DOMINE Jesu, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in crûce, maximè quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ, nunc et in egressu suo. *Amen.*

Quidam Religiosus, (ut refert Cæsarius, lib. 12. c. 51.) singulis diebus recitando hanc orationem, obtinuit à Deo gratiam migrandi ad cœlum sinè purgatorio.

Ad Injectionem particulæ Hostiæ in calicem, *perpende descensum Christi ad Limbum, et dic:*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui, diaboli potestate contritâ, potenter amanterque ad inferos secundùm animam descendens, Patres ibi detentos tuâ præsentiâ exhilarâsti, et eos ad amœna Paradisi tempe claramque Dei visionem transtulisti. Descendat nunc, oro, passionis sanguinisque tui virtus in Purgatorium super animas fidelium defunctorum, ut à pœnis absolutæ recipiantur in sinum pacis æternæ.

Ad Communionem, *considera Sepulturam Christi et fructum uberem Passionis.*

Digitized by Google

Communio Spiritualis.

Hîc communicare debes spiritualiter. Spiritualis communio in hoc posita est, ut peccata tua detestans, reverenter et humiliter invites Christum Dominum ad possidendum et inhabitandum cor tuum, juxta ac si sanctissimum ejus corpus tuo corpore exciperes.

Actus, Contritionis loco, Confessioni præmittendus.

O JESU, utinam te, infinitè amabilem, nunquam offendissem! Doleo de omnibus peccatis meis, paratus ea expiare et compensare, purè propter te, ô Deus meus et omnia! Heu, quòd unquam te offendi!

Invitatio Christi Jesu.

O JESU, veni; veni, Dilecte mi; veni Deus meus et Dominus meus, spes mea, amor meus et omnia. Posside sedem cordis mei; conforma illud cordi tuo, ut idem velit, idem nolit tecum, nunc, semper, æternùm, et ultrà.

Tunc quasi verè communicásses, et Christum velut præsentem animo complecterêre, dic:

INVENI quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. O Jesu, quàm bonus es, et fuisti huc usque, erga me. Agnosco, omnique possibili affectu gratias ago. Quàm ingratus ego erga te. Doleo purè propter te. Ignosce, supple per te. En ex momento hoc, te, et quidquid amas, amo ego propter te. Da

Digitized by Google

gratiam emendandi omnia etiam minima peccata, maximè hoc N. et in amore et gratiâ tuâ perseverandi in æternum. O Jesu, ô Jesu, fiat, fiat.

ANIMA Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari à te.
Ab hoste maligno defende me.
In horâ mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te;
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In sæcula sæculorum. *Amen.*

Ad Dominus vobiscum, *Resurrectionem Christi, et varias Apparitiones factas Beatæ Virgini, Magdalenæ, Apostolis, tibi repræsenta, et dic:*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui victor è clauso sigillatoque sepulchro prodiens, nobili triumpho resurrexisti à mortuis, et claritate serenissimi vultûs tui redditâ, amicos tuos novo perfudisti gaudio. Da, Domine, ut ego à vitiis veteris consuetudinis resurgens, in novitate vitæ ambulem, et quæ sursùm sunt quæram, quæ sursùm sunt sapiam, non quæ super terram; ut cùm appa-

Digitized by Google

rueris vita mea, ego quoque tecum appaream in gloriâ.

Ad Benedictionem, *Ascensum Christi in cœlos considera, et dic:*

LAUS tibi, et honor, et gloria, Christe, qui expleto à resurrectione tuâ quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in cœlum, ubi sedes ad dexteram Patris, benedictus in sæcula. Utinam anima mea tui amore semper langueat, mundana omnia fastidiat, æterna attendat, ad te anhelet, te esuriat, et sitiat! Utinam nihil me afficiat, nihil exhilaret, præter te, ô Domine Deus meus!

In fine Sacri.

OMNIPOTENS æterne Deus, qui, ex amore divino, unigenitum Filium tuum Mediatorem inter te et peccatorem constituisti, te oro, ut hoc sacrificium, hanc victimam à me peccatore misero suscipias, quod malè et negligenter actum est ignoscas. O Domine, ne me umquam à te divelli patiaris. Benedic animæ meæ, et præsta, ut hîc tibi ad finem usque fideliter serviam in omnibus; et post hanc vitam tuo aspectu frui, teque æternùm cum beatis omnibus laudare, et glorificare merear. *Amen.*

Digitized by Google

MODUS AUDIENDI SACRUM,

Recitando Rosarium.

ALTER modus audiendi Sacri, minus sublimis, omnibus accommodatus, is est; ut totum Missæ officium in tres partes dividant, ad quas attendant tantùm, non autem ad omnia mysteria quæ antè proposita sunt.

Primò quidem, cum Sacerdote, veniam peccatorum suorum rogent, eliciendo *Actum Contritionis*, ut suprà, pag. 39. Tum Beatæ Virginis Rosarium recitent usque ad *Sanctus*.

2. Ab illis verbis mentem suam colligant. Memores sint passionis Domini, crucis, effusionis sanguinis, ac mortis, quæ in hoc sacrificio repræsentantur. Commendent Deo se, parentes, amicos, &c. ut suprà in *Memento pro Vivis*, pag. 35. Quando Christi corpus et sanguis elevantur, ea faciant, quæ suprà, pag. 36; ac denique defunctos parentes, amicos, et animas quæ in Purgatorio detinentur, Deo commendent. Petant ut illis salutare sit hoc sacrificium, ut suprà in *Memento pro Defunctis*, pag. 37. Deinde persequantur Rosarium, usque ad *Agnus Dei*.

3. Quando Sacerdos pervenit ad *Agnus Dei*, parent se ad communicandum spiritualiter, ut suprà, pag. 39. Tunc Rosarium persequantur usque ad finem; et concludant, ut suprà, pag. 41.

Digitized by Google

MODUS DICENDI ROSARIUM.

Praxis Prima

CONSISTIT in hoc, ut ad singula Pater noster, *reflectas ad unam ex septem petitionibus; ad singula* Ave, *occupes mentem piâ consideratione.*

Priusquàm incipias, pete veniam à Beatâ Virgine laudandi illam, dicens:

Dignare me laudare te, Virgo sacrata;
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Tum ad crucem, muni te signo crucis ✠ *et recita* Credo in Deum.

Ad 1. Pater, *reflecte ad ista verba,* Sanctificetur nomen tuum.

Ad 1. Ave, *cogita quòd Beata Virgo Maria sit* Filia Dei Patris.

Ad 2. *Quòd sit* Mater Dei Filii.

Ad 3. *Quòd sit* Sponsa Spiritûs Sancti.

Prima decas.

PATER noster, *reflecte ad ista verba,* Adveniat regnum tuum.

1. Æterna Beatæ Virginis Mariæ prædestinatio.
2. Conceptio absque maculâ.
3. Immunitas ab omni noxâ actuali.
4. Prima ejus gratia eminentissima.
5. Mundissimus ejus exortus.
6. Imponitur ei nomen Maria.
7. Præsentatio ejus in templo.

Digitized by Google

8. Incrementa in ætate et meritis.
9. Familiaris usus cum Angelis.
10. Desponsatur Sancto *Joseph.*

Secunda decas.

PATER noster, *reflecte ad ista verba,* Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ.

1. Salutatur ab Angelo.
2. Demissionis plena ad Angelum responsio.
3. Æterni Verbi Incarnatio.
4. Visit cognatam suam *Elisabeth.*
5. Sancti *Josephi* anxietas super ejus graviditate.
6. Declarata per Angelum ejus innocentia.
7. Studia et exspectatio partûs.
8. Iter in *Bethleem* aggreditur.
9. *Bethleemitarum* repulsa.
10. Ingressus in stabulum.

Tertia decas.

PATER noster, *reflecte ad ista verba,* Panem nostrum quotidianum, &c.

1. Alta contemplatio ante partum.
2. Ortus Christi Salvatoris.
3. Jesum cum *Josepho* adorat.
4. Audit Angelos canentes: *Gloria in altissimis Deo.*
5. Jesum ad ubera admovet.
6. Nunciatur Pastoribus ortus Salvatoris.
7. Pastorum erga Jesum religio.
8. Octavo die circumciditur.

Digitized by Google

9. Jesu nominis impositio.
10. Regum adoratio.

Quarta decas.

PATER noster, *reflectè ad ista verba*, Et dimitte nobis debita nostra, &c.

1. Mariæ Purificatio.
2. Sancti *Simeonis* Prophetia.
3. Fuga in *Ægyptum.*
4. Reditus in *Nazareth.*
5. Materna ejus auctoritas, et domestica eorum consuetudo.
6. Jesus se subducit ad triduum.
7. Invenitur tandem in Templo.
8. Felix obitus Sancti *Josephi.*
9. Miraculum impetrat in *Canâ.*
10. Christo ad populum dicenti aures præbet.

Quinta decas.

PATER noster, *reflectè ad ista verba*, Et ne nos inducas in tentationem.

1. Jesus passurus Matri valedicit.
2. Admonetur de Filii comprehensione et cruciatibus.
3. Occurrit ei in monte *Calvariæ.*
4. Clavorum confixio.
5. Crucis erectio.
6. *Joannem* illi Jesus pro filio relinquit.
7. Eâ spectante animam efflat.
8. Christi latus lanceâ aperitur.
9. Corpus in ejus sinum deponitur.
10. Sepeliendo Filium ingemiscit.

Digitized by Google

Sexta decas.

PATER noster, *reflecte ad ista verba,* Sed libera nos à malo. *Amen.*

1. Jesus redivivus eam invisit.
2. Coram illâ, in cœlos ascendit.
3. Spiritum Sanctum accipit in Pentecoste.
4. Eucharistiam Sancti *Joannis* manu percipit.
5. Saluti animarum invigilat.
6. Morti proxima, ad cœlum anhelat.
7. Vi ardentissimi amoris exspirat.
8. Effertur humeris Apostolorum.
9. Reviviscit, et in cœlos assumitur.
10. Omnium Regina coronatur.

Altera Praxis dicendi Rosarii.

REPRÆSENTA tibi Sanctissimam Trinitatem in solio majestatis suæ, ac Beatam Virginem gloriâ et honore coronatam.

Tardè pronuncia, ac reflecte ad sensum verborum, tantisper iis immorans. Ita, in Oratione Dominicâ, *agnosces ac revereberis Deum, Sanctitatem ipsam, Regem Regum, Dominum Universi, Provisorem benignum, Judicem, Protectorem, Liberatorem tuum. In* Salutatione Angelicâ, *gratulaberis gratiam, ac honores suos, Deiparæ; sperabisque omninò eam tibi in morte fore propitiam, quam non segniter totiès quotidiè colueris et invocaveris.*

Digitized by Google

Praxis tertia.

CUM dicis Ave Maria, *adde elogium ex Litaniis Lauretanis, V. G.* Mater purissima, salus infirmorum, consolatrix afflictorum, &c. *pro diversitate intentionis, ad quam dicis Rosarium.*

Praxis quarta.

RECOLENDO mysteria Rosarii Gaudiosa, ad hæc verba, Benedictus fructus ventris tui Jesus, *adde in primâ decade,* Quem Virgo concepisti; *in secundâ,* Quem in utero gestâsti; *in tertiâ,* Quem Virgo genuisti; *in quartâ,* Quem in Templo obtulisti; *in quintâ,* Quem gaudens invenisti.

Recolendo Dolorosa, adde similiter in primâ, Qui pro me sanguineo sudore perfusus est; *in secundâ,* Qui pro me flagellatus est; *in tertiâ,* Qui pro me spinis coronatus est; *in quartâ,* Qui pro me crucis pondere gravatus est; *in quintâ,* Qui pro me crucifixus est.

Recolendo Gloriosa, adde in primâ, Qui gloriosè resurrexit; *in secundâ,* Qui triumphator ascendit; *in tertiâ,* Qui Spiritum Sanctum misit; *in quartâ,* Qui te assumpsit; *in quintâ,* Qui te coronavit.

Cùm autem recitare voles Coronam *Beatæ Virginis, quæ constat* 63 *Salutationibus, in sextâ decade, iterabis et recoles mysterium quo teneriùs afficeris.*

Digitized by Google

Ad supplendum quod defuit in attentione, absoluto Rosario, recita semper Psalmum:

Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

MODUS PIE PRANDENDI AUT CŒNANDI.

ANTE Refectionem, I. *Excita desiderium, debitâ cum intentione, circumspectione, devotione, temperantiâ, et decentiâ, consueta corporis alimenta sumendi, considerando unum ex sequentibus incitamentis:*

1. Quam indignus sis, ob tot peccata et ingratitudines tuas, pane filiorum, qui totiès secutus cupiditates tuas, abjecisti te ad siliquas porcorum.

2. Quam paternè tibi, filio tam ingrato et prodigo, omnia necessaria mentis et corporis subsidia providerit, ab ineunte ætate, atque etiamnum provideat Deus, verè pius et misericors Pater; cui te vicissim totiès exhibes ingratum, donis ejus abutendo, intemperantiâ excedendo, tam tepidè ei serviendo.

Digitized by Google

3. Quot pauperes et innocentes, te meliores Deoque gratiores, fame sitique prèmantur, qui delicias reputarent communiores escas, quas tu subindè nauseas.

4. Quam piè et frugaliter optares, te sub horam mortis, et judicii particularis, usum fuisse necessariis vitæ conservandæ subsidiis, tamquam medicamentis, non delectamentis.

II. *Forma intentionem, et protestare te, in alimentis percipiendis, non voluptati indulgere velle, sed necessitati, pro divino beneplacito, servire.*

III. *Pete gratiam, sic corporis vires reparandi, ut mentis integritas et angelica castitas nullum patiatur detrimentum, hâc vel simili oratione:*

O SI ita devotè, temperatè, modestè possem corporis vires reficere, ô bone Jesu, sicut tu olim in terris! Desidero id ardenter, purè ad majus obsequium et beneplacitum tuum, et spirituale meum proximorumque emolumentum impensiùs procurandum. Nosti, Domine, fragilitatem meam; in concupiscentiâ gulæ reprimendâ, adjuva me, et perfice desiderium meum.

In ipsâ Refectione, *piorum praxis est, ter gulæ suæ quidpiam denegare, tùm sui vincendi gratiâ, tùm in honorem Passionis Dominicæ. Cæterum,* Est sanitatis Mater Abstinentia.

Prætereà mentem occupare potes piis cogitationibus.

Digitized by Google

1. Cogita quàm piè, modestè, decenter, Christus Dominus, olim in terris, cum Beatâ Virgine, et Sancto *Joseph*, cum Apostolis, aliisque manducaverit.

2. Recordare fellis et aceti, quo Christus in cruce potatus est.

3. In memoriam revoca cœnam illam, de quâ dicitur (*Apoc.* xix.) Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

In fine gratias ages, quâ par est reverentiâ et devotione; Deum, ceu patrem liberalissimum præsentem agnoscendo, submissè reverendo, filiali cum fiduciâ ad sinum paternæ ejus Providentiæ confugiendo.

MODUS SE RECOLLIGENDI PER DIEM.

Duodecim puncta totum diem dirigentia.

SERIO recordare te non alio consilio conditum quám ut Deo servias, et vitam obtineas sempiternam. *Eccl.* xvii, *Sap.* i.

2. Apprehende vivâ fide cœlum non nisi vi et virtute acquiri, peccato amitti. *Matth.* xi. *Apoc.* xxi.

3. Nihil te eorum, quæ possides, potest à morte comitari, nisi opera; siquidem bona, ut vivas, sin mala, ut pereas in æternum. *Apoc.* xiv. 2 *Cor.* v.

4. Firmiter tibi persuade, meriti tempus solum esse hanc vitam. Hinc qualis discedis,

Digitized by Google

talis totâ æternitate mansurus es. *Joan.* ix. *Eccl.* xi.

5. Frequenter expende Deum omnia et singula intueri clarissimè, eumque renum testem, et cordis intimi scrutatorem. *Eccl.* xxiii. *Sap.* i.

6. Præveni occasiones, quibus pravi motus concitantur, ac tentationi invitanti fortis resiste. *Jac.* iv. *Eccl.* xviii.

7. Apud temetipsum omninò constitue potiùs quidvis perpeti, quàm animam culpâ fœdare lethali. *Dan.* xiii. *Rom.* viii.

8. Si fortè lapsus es, alacrior exsurge; curre ad medelam, præsertim contritionis et confessionis. *Eccl.* xvii. *Jeremiæ*, iii.

9. Erga proximum misericordiam, erga teipsum severitatem exerce. *Luc.* vi. 1 *Cor.* ix.

10. Selige fidelem melioris vitæ ac salutis ducem, cui intimos animi recessus aperias, cujus consiliis penitùs acquiescas. *Eccl.* vi. *Colos.* ii.

11. Dirige quæcumque tibi agenda vel perferenda sunt, ut Deo potissimùm placeas. 1. *Cor.* x. *Col.* iii.

12. Ut in bono perseveres, cogita hanc primam esse boni operis horam, et audi: *Dixi, nunc cœpi, (Psal.* lxxvi.) aut certè cogita esse postremam, et audi: *Novissima hora est.* 1 *Joan.* ii.

Nota in his 12. *punctis, non esse verba Scripturæ, sed innui eumdem sensum locis citatis.*

Digitized by Google

Actus Charitatis et Contritionis, per diem eliciendi.

Charitas consistit in hoc, ut Deum super omnia diligas, propter semetipsum, qui illud infinities promeretur. Ita omnia scelera eluis, teque concilias Deo. Praxis autem potest esse hujusmodi:

O MAGNE Deus, te amo super omnia. Te complector et diligo ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus meis! Et quid ita? Non alio impulsu, quàm ob immensam perfectionem, incomprehensam potentiam, altissimam sapientiam, infinitam sanctitatem, ac bonitatem tuam; propter temetipsum, ô Pater, ô Fili, ô Spiritus Sancte, ô sanctissima Trinitas, ô Deus meus et omnia! O amor meus, Deus meus! diligo te toto corde meo, solùm propter te.

Contritio in hoc sita est, ut pœniteat peccatorum, non tam ob supplicium, aut damnum transiens vel æternum in quod te præcipitent, sic enim tantùm esset Attritio; sed potissimùm, quia divinæ displicent Majestati. Ita deles peccata, si paratus es suo tempore confiteri. Hâc aut simili formâ uti potes:

O CHRISTE Jesu! doleo, ex intimo corde, me divinam Majestatem tuam peccatis meis totiès offendisse, quia tu es Deus infinitè potens, sapiens, sanctus, et bonus, cui hæc admodùm displicent. Proinde firmiter

Digitized by Google

statuo, nunquam amplius te offendere, omnes peccandi illecebras fugere, ritè confiteri, pœnitentiam implere, damna ac detrimenta, si quæ alicui intuli, resarcire. Quin imò, ut pleniùs satisfaciam, remitto ex animo, si quis me unquam offenderit; meque totum tibi offero, omniaque quæ mihi toleranda vel agenda prævideris. Utque suppliciter peto veniam delictorum omnium, ita spero fore, per merita pretiosissimi sanguinis tui, ut impetrem; tuâque gratiâ comite, vitam corrigam, et ad mortem usque perseverem.

O Jesu, doleo, ex amore tui, quod offenderim te! Peccavi! O quam doleo; idque ex solo in te amore.

Recollectio Horaria, continens utrumque, Charitatis viz. et Contritionis, Actum.

O JESU, ô summum et omne bonum! cur unquam te offendi? Ah, verè pœnitet ex intimis medullis, ideoque vel maximè quia tibi soli peccavi. Et quid jam ago? Te æstimo, te unum amo super omnia, propter teipsum qui hoc amore meo omnique alio sinè fine dignus es.

Orationes Jaculatoriæ per diem.

SPECULATOR adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit,
A luce primâ in vesperum.

Ex Hymno Ecclesiæ.

Digitized by Google

De signo Crucis.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. *Hieronymus ad Eustochium.*

Sic nempè invocamus opem Dei, opera illi nostra offerimus, contra hostes nostros munimur.

Ante quamlibet actionem.

Hoc faciam ad majorem Dei gloriam. Ex te enim, et in te, et pro te sunt omnia, Deus meus et omnia.

Nota Jaculatoriam illam, Ex te, in te, et pro te sunt omnia, *continere,* 1. *Per* Ex te, *sui humiliationem, quâ ex Deo omnia esse fatemur.* 2. *Per* In te, *memoriam præsentiæ Dei.* 3. *Per* Pro te, *puram intentionem, et amoris Dei actum.*

Ante quamlibet orationem.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis! *Genes.* xviii.

Dum evigilas.

Anima mea desideravit te in nocte. *Isaiæ* xxvi.

Dum surgis.

Hora est jam nos de somno surgere. *Rom.* xiii.

Ad aquam lustralem.

Rore suæ gratiæ inspergat nos Rex cœlestis gloriæ.

Digitized by Google

Dum manè gratias agis.

Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Ps.* cii.

Dum studes.

Sapientiam amavi, et exquisivi à juventute meâ, et quæsivi sponsam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. *Sap.* viii.

Dum scribis.

O Jesu, qui in manibus tuis et libro vitæ, ut confido, descripsisti me, da mihi præmeditatè, piè, et prudenter scribere æternitati, ad gloriam tuam.

Cùm domo egrederis.

Dirige, Domine, in conspectu tuo viam meam. *Psal.* v.

Transeundo ante Templum.

Adoro te, sanctissima Trinitas, cum omni creaturâ, et pro omnibus, qui te ignorant et blasphemant. Credo tibi, ô Veritas æterna; spero in te, et ex toto corde meo te amo, ô Bonitas infinita. *Amen.*

Cœmeterium pertransiens.

Fidelium animæ, per misericordiam Dei, requiescant in pace.

Dum vides funus.

Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. *Luc* xii.

Digitized by Google

Ad effigiem Christi Pueri.

O bone Jesu, esto mihi Jesus.

Ad effigiem Christi crucifixi vel patientis.

Qui passus es pro nobis, miserere nobis.
Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. *Is.* liii.

Ad imaginem Deiparæ.

Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transivit. *Bernardus.*
O Mater Dei, memento mei.

Ad imaginem alicujus Sancti vel Sanctæ.

Sancte N. vel Sancta N. ora pro nobis.

Egenis occurrens.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die malâ liberabit eum Dominus. *Ps.* xl. *Opta ipsis eleemosynam corporalem et spiritualem.*

Dando eleemosynam.

Dixisti, bone Jesu, quod uni è minimis meis fecistis, mihi fecistis: tibi igitur in paupere reddo, quod accepi à te.

Eundo ad Sacrum.

Vadam, et videbo visionem hanc magnam. *Exod.* iii.

Dum mensæ accumbis.

Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmo-

Digitized by Google

dum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. *Aug.*

Dominus meus crucifixus est, et ego nunc oleum comedam? *Dicebat Eremicola quidam.*

Ante colloquium.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. *Ps.* cxl.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *Jac.* iii.

Colloquendo de rebus piis.

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* xviii.

Dum ambulas.

Providebam Dominum in conspectu meo semper. *Psal.* xv.

Eundo ad lusum.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, bone Jesu, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ.

Ad Mundi oblectamenta.

Si tanta, Deus meus, facis nobis in carcere, quid ages in palatio? *S. Aug.*

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini. *Psal.* xxvi.

Digitized by Google

Cum ad peccandum tentaris.

Domine, tu scis quia amo te. Quomodo possum hoc malum facere! O Jesu, esto mihi Jesus. O succurre, Maria.

Contra Superbiam.

Qui se exaltat, humiliabitur. *Luc.* xviii.

Non veniat mihi pes superbiæ; ibi enim ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. *Ps.* xxv.

Contra Avaritiam.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Ps.* lxi.

Beatius est magis dare, quàm accipere. *Act.* xx.

Contra Luxuriam.

Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat.

Dominus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? *Bernard.*

Contra Invidiam.

Qui non diligit proximum, manet in morte. *Joan.* iii.

Contra Gulam.

Regnum Dei non est esca et potus. *Rom.* xiv.

In multis escis erit infirmitas. *Eccl.* xxvii.

Digitized by Google

Contra Iram.

Discite à me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* xi.

Contra Acediam.

Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. *Jerem.* xlviii.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. *Eccles.* ii.

Dum aliquid boni fecisti, vel laudaris.

Omnia in nobis operatus es, Domine. *Phil.* ii.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Psal.* cxxxi.

Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ. *Ber.*

Dum dubitas, an id quod agis placeat Deo.

Vide, Domine, si via iniquitatis in me est, et deduc me in viâ æternâ. *Psal* cxxxviii.

Ad petendam Dei Gratiam.

Da quod jubes, et jube quod vis. *Aug.* *Hoc semper in ore habere debes.*

Ad occasionem virtutis exercendæ.

An hoc non possim? Et cur nolim? Volo propter te, Deus meus.

Cum injuriam pateris.

Patiar, Domine, amore tui, qui in me, tibi totiès injurium, tam bonus, tam benignus es.

Digitized by Google

Cum adversa accidunt.

Quid habeo, miser, conqueri, qui inferorum rogos promerui? Hîc ure, Domine, hîc seca, hîc mihi non parcas, ut in æternum parcas.

Cum fit aliquid contra tuam voluntatem.

Propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oves occisionis. *Psal.* xlix.

Cum vides aliquid mali fieri.

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi. *Psal.* cxviii.

Dum facis aliquid humile vel pœnale.

Vide, Domine, humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. *Ps.* xxiv.

Pro humilitate acquirendâ.

O quàm excelsus es, Domine! Sed humiles corde sunt domus tua. *Aug.*

Pro modestiâ amplectendâ.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim propè est. *Phi.* iv.

Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. 1 *Cor.* iv.

Ut excites te ad amorem Dei.

Minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. *Aug.*

Digitized by Google

Ut ames proximum.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. *Joan.* xv.

Ad præsentiam Dei excitandam in omni loco.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. *Genes.* xxviii.

Ut semper facias voluntatem Dei.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. *Psal.* xxxix.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Psal.* cxlii.

Ut sanctitatem vitæ amplectaris.

O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Sed quid es amantibus, quid toto corde tibi servientibus? Verè ineffabilis dulcedo! *Thomas à Kempis.*

Aspiciendo Cœlum.

O quàm sordet mihi terra, cùm cœlum aspicio! *S. Ignatius.*

Circumspiciendo per campos, per urbem.

Omnia clamant, ut amem te, Domine; nec cessant omnibus idem acclamare, ut nemo possit excusari. *Aug.*

Digitized by Google

Considerando vastitatem Universi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. *Psal.* cxliii.

Dum sedes ante ignem.

O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris, accende me. *Aug.*

Ante exhortationem.

Munda cor meum, Domine, ut semen verbi tui cadat in terram bonam, et fructum afferat.

Ante lectionem libri spiritualis.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. *Psal.* cxviii.

Ante Confessionem.

Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* xv.

Post Confessionem.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. *Psal.* xxxi.

Dele, Domine, iniquitatem meam. *Psal.* li.

Eundo ad Communionem.

O sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Digitized by Google

Quid est bonum ejus et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? *Zachar.* ix.

Ante quodvis negotium alicujus momenti.

Mitte, Domine, sapientiam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. *Sap.* ix.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

Eundo cubitum.

O quàm doleo, me hunc, et tam multos dies vitæ meæ, malè transegisse ! Crastinum saltem diem, mi Deus, cum gratiâ tuâ sanctè impendam, qui tot dies et noctes mei corporis necessariæ quieti indulgendo, insumpsi. Cupio id unicè ob gloriam tuam, ob amorem et beneplacitum tuum. Qui dedisti velle, Deus, da perficere. In te vivam, in te moriar ; in te perennem, ô Deus meus et omnia, felicitatis æternitatem me consecuturum spero.

Digitized by Google

MODUS EXAMINANDI CONSCIENTIAM SUAM VESPERI,

Disticho contentus.

1. *Solve Deo grates.* 2. *Pete lumen.* 3. *Discute mentem.* 4. *Delicti veniam posce.* 5. *Recide malum.*

1. *Solve Deo grates.*

O PATER misericordiarum, ô mi Creator, mi Conservator, mi Redemptor, ac Protector, te benedico cum omnibus Angelis et curiâ sanctorum universâ, et ex intimis præcordiis gratias ago pro omnibus et singulis animi et corporis donis liberalissimè mihi aliisque collatis, præsertim hoc mense, hodièque, pro istis, et istis N. N. Et quid pro his retribui tibi, aut retribuam?

2. *Pete lumen.*

ILLUMINA me, Domine, qui observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. O veri, Lux vera, et pelle tenebras cordis mei, ut videam quid desit mihi, et quid displiceat tibi, ut omnem iniquitatem odio habeam, et per gratiam tuam seriò emendem.

3. *Discute mentem.*

COGITATA, *Dicta, Facta diei tecum expende.* 1. An rectâ in rebus tuis intentione processeris? An suspicionibus, judi-

Digitized by Google

ciis temerariis, ambitione, libidine, odio, alienorum appetitione, &c. laboraveris?

2. An in verbis tuis vanitas, acerbitas, mendacium, irrisio, detractio, murmuratio, juramentum, &c. locum habuerint?

3. An in actionibus aliquid Dei gloriæ, proximi commodis, tuæ saluti obfuerit? An obire neglexeris, quæ tui officii? Potes insuper, si placet, pereurrere Decalogum, præcepta Ecclesiæ, quinque Sensus, &c.

4. *Delicti veniam posce.*

O PATER amantissime, quem amo super omnia, ecce hæc reddidi mala pro bonis tuis. Doleo, ex toto corde meo et intimis medullis, me infinitam bonitatem tuam unquam offendisse. Ignosce mihi indignissimo, ô omne bonum meum! Parce, ô benignissime Jesu, his et omnibus occultis meis, per gemitus tuos et lacrymas, per spinas et flagra, per crucem et vulnera, per omnes misericordias tuas.

5. *Recide malum.*

ITERUMNE peccabo? Corpus et animam meam, Christi vulnera et sanguinem, cœlum et omnia bona ob rem nihili prodigam? Non faciam, ô bone Jesu, non faciam, meritis tuis fultus et gratiâ. Persequar inimicos, id est, vitia mea, et cadent subtus pedes meos. O succurrite, omnes cœlites, peccatrici huic animæ; tuque, ô Misericordiæ Mater, quæ nullum derelinquis; tuque, Angele mi custos;

Digitized by Google

vosque, Patroni mei, coram quibus propono hæc peccata, et illa N. N. emendare, tales peccandi occasiones subterfugere, paratus ad Dei gloriam hæc N. agere, et illa N. quando occurrent, tolerare.

MODUS PIE DECUMBENDI.

Examine facto, dispones te ad somnum capiendum per has preces.

Oratio ad Jesum.

ADORO te, suavissime Jesu, et gratias ago pro omnibus beneficiis et donis tuis, spiritualibus atque corporalibus, quibus indignus sum; tuoque cordi mellifluo hâc nocte commendo animam meam et corpus meum. Da, ut pudicè et sanctè somnum capiam, ad gloriam nominis tui, in unione illius amoris, quo tu, Deus meus, pro me factus homo, somnum corporalem cepisti in terris, ad honorem Patris, et salutem totiûs generis humani. Vigilet tibi cor meum, singulæque ejus respirationes hâc nocte laudem et amorem tibi exhibeant. Peto ut omnes Spiritus beati et omnes Sancti tui glorificent te pro me, omni temporis momento, quia tu es benedicendus in sempiterna sæcula.

Digitized by Google

Varii Actus virtutum.

DOMINE Jesu Christe, credo quidquid per sanctam Ecclesiam tuam Catholicam, mihi credendum proponis, quia dixisti; atque in hâc fide protestor me velle vivere. Utinam daretur mihi pro eâ mori!

Doleo ex toto corde, quòd summam bonitatem tuam totiès offenderim; et me non satis dolere, doleo. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Omnibus, qui me unquam offenderunt, libenter propter te, mi Deus, offensas omnes dimitto; utinam eodem animo, quo Patrem tuum pro inimicis in cruce orâsti! et si quem ego offendi, precor etiam mihi veniam dari.

Corrobora me, Domine Jesu, contra omnes Satanæ insultus, et scuto misericordiæ tuæ protege me. In te enim omnis spes mea reposita est, et in sanguine tuo, cum tantâ charitate pro me fuso, per quem me, licet indignum, ut spero, salvum facies.

Amo te, mi Deus, propter teipsum, cupioque ardentiùs amare. Hâc amoris flammâ penitùs cor meum liquefiat!

Ecce me paratum in omne beneplacitum tuum. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Nunc, Domine, secundum voluntatem tuam, fac mecum misericordiam tuam, et præcipe in pace recipi spiritum meum.

Ad Beatam Virginem.

O CLEMENTISSIMA Virgo, Filii Dei Mater dilectissima, tibi sit laus, honor,

Digitized by Google

et gloria perennis. Miserere mei, quia pia et misericors es. Impetra mihi veniam peccatorum. Commendo me tibi hâc nocte; protege me, quæso, ab insidiis inimici, ut castè necessarium somnum percipiam ad gloriam Dei.

Ad Sanctum Josephum.

O BEATISSIME *Joseph*, suscipe me in clientem tuum, meque, potenti tuo patrocinio, virum effice secundum cor Jesu, et castitatem illibatam mihi conserva.

Ad Angelum Custodem.

ANGELE Dei, princeps nobilis, custos meus fidelis, gratias tibi ago pro custodiâ tuâ, et pro dilectione, quam mihi indigno exhibes. Commendo tibi hâc nocte animam meam. Defende me, quæso, ab omni malo, ut in sanctâ pace dormiam et requiescam.

Ad omnes Sanctos.

AVETE, spiritus angelici, principes nobilissimi atque pulcherrimi. Avete, Sancti Sanctæque Dei omnes, tuque in primis Sancte N. qui, trajecto hujus mundi pelago, feliciter pervenistis ad portum patriæ cœlestis. In augmentum gloriæ vestræ, offero vobis totiûs amoris gazophilacium, cor Jesu purissimi. Humiliter vos veneror, humiliter in mei patrocinium vos invoco. Intercedite pro me apud Deum, ut hujus noctis requies sit mihi ad salutem, castè et piè transigatur; et merear ab eo juvari et salvari, qui vobis est omnia, in sæcula sæculorum. *Amen.*

Digitized by Google

Hic subjunges, ex regulâ Sodalitatis, ter Pater *et* Ave, *ac semel* De profundis; *et* Litanias Lauretanas, *si lubet.*

His dictis, cubitum concedes; et exuens te vestibus, recitabis, cum Ecclesiâ:

TE, lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut, pro tuâ clementiâ,
Sis præsul et custodia.
Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. *Amen.*

SALVA nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Vers. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

Resp. Sub umbrâ alarum tuarum protege nos.

Oremus.

VISITA, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab eâ longè repelle; Angeli tui sancti habitent in eâ, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper, per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Digitized by Google

Tunc asperge te et lectum tuum aquâ lustrali. Dum aperis lectum, cogita esse sepulchrum, ac fore, ut brevi illud intres, alteram ex æternitatibus sortiturus. Deinde dic:

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, pro me crucifixi, cubitum eo. Qui me redemit suo pretioso sanguine, ille mihi benedicat, ille me regat, custodiat, et post hanc miseram vitam, perducat me in vitam æternam.

In lecto compositus, statue cras promptè surgere; et facto signo crucis ✠ obdormi in piâ aliquâ aspiratione, quales sunt matutinæ, cum evigilas. *Vide pag.* 13.

MODUS RITE CONFITENDI, AC PŒNITENDI, VITAMQUE EMENDANDI.

Quid Pœnitentiæ Sacramentum? Quæ ejus necessitas?

PŒNITENTIA est Sacramentum à Christo institutum, in quo, ministerio Sacerdotum, remittuntur peccata actualia, et solvuntur omnia vincula ad culpam pertinentia, quibus hominibus conscientia quodammodò fuit ligata. Remittitur quoque pœna æterna, et pars pœnæ temporalis, vel etiam tota, secundùm dispositionem pœnitentis Unde colligi potest, quanta sit hujus Sacramenti necessitas; quippè quod, uti Concilium

Digitized by Google

Tridentinum decrevit, non minùs necessarium est ad salutem eorum, qui post baptismum in peccatum mortale inciderunt, quàm sit necessarius baptismus ad salutem eorum, qui nondum sunt regenerati. Quocircà, etsi pœnitentiæ radices primo aspectu videantur amaræ, tamen ejus fructus sunt dulcissimi. Ut propterea meritò debeat omnis Christianus, quamprimùm animadvertit se aliquod peccatum mortale incurrisse, sine morâ accurrere ad hunc misericordiæ divinæ fontem.

Nam cùm quatuor mala sint, quæ animæ inferuntur à peccato mortali, iis singulariter medetur sola pœnitentia.

Primum malum est, quotiescumque homo est in peccato mortali, et denuò idem committit. Illud, etsi easdem circumstantias habeat, priore tamen efficitur gravius; et consequenter tertium est gravius secundo, et quartum tertio, et sic deinceps. Ratio est, quia quò Deus plus temporis concedit peccatori ad conversionem, hoc magis crescit ejus ingratitudo divino beneficio abutentis, et quotidiè Deum novis peccatis offendentis.

Secundum malum est, quòd, dùm homo unum peccatum committit, viam parat ad facilè committendum alterum; nam, ut dicit Beatus *Gregorius*, tanta est peccati gravitas, ut si non corrigatur subitò, suo pondere hominem trahat ad committendum aliud, et hoc ad tertium, et sic deinceps.

Tertium malum est, quòd homo existens in

Digitized by Google

peccato mortali, jacturam facit omnium bonorum operum suorum; nihil enim prosunt ad promerendam vitam æternam. Quare, nec eleemosynæ, nec orationes, nec jejunia, nec indulgentiæ, nec martyrium ipsum pro Christo susceptum, illi prosunt, si eum peccatorum suorum non pœniteat; prosunt verò tantùm ad obtinenda bona temporalia, et pro dispositione ad pœnitentiam impetrandâ.

Quartum malum est, quòd peccatum magis magisque paulatim divinæ misericordiæ portam occludat; ut tandem vix spem relinquat veniæ à Deo obtinendæ. Quod enim refugium superesse potest homini in peccatis perseveranti, nisi paululum spei, quòd fortè Deus ejus miserebitur? Jam quò diutiùs persistit in peccato, eò magis discedit à misericordiâ divinâ, et propiùs accedit ad divinam justitiam, provocando magis magisque Dei iram, ut vindictam sumat de peccatis.

Denique, sicut videmus in rebus externis evenire, quò diutiùs macula aliqua panno inhæret, hòc difficiliùs posteà tollitur, similiter quò homo rariùs pectit et purgat capillos, hòc magis implicantur et replentur sordibus: sic quò anima longiùs differt se expurgare per Confessionem, eò difficiliùs posteà se expurgat, et ob multitudinem peccatorum magis intricat, tantâque anxietate obruitur, ut ne à docto quidem Confessario extricari possit, atque, quod amplius est, gignit ac nutrit in se vermem conscientiæ, quem etsi in hâc vitâ non

Digitized by Google

sentit, tamen in horâ mortis crudeliter mordentem sentiet, et multo ampliùs in futuro sæculo, ubi vermis iste nunquam moritur, nec ignis, qui eum combusturus est, extinguitur.

Pœnitentiæ partes.

NIHIL videtur explicandum hîc exactiùs de partibus pœnitentiæ, quæ tres sunt, *Contritio*, *Confessio*, et *Satisfactio*, planè necessariæ ad perfectionem hujus Sacramenti, tam necessarii ad salutem. De quibus hoc tantùm in præsentiâ.

Quod ad veram *Contritionem* pertinet, doleat peccator, et detestetur peccatum commissum, quatenùs est offensa Dei, super omnia amati; conjungatque cum dolore et detestatione firmum propositum mutandi vitam, et in futurum nunquam peccandi. Sicut enim Deus, qui est summum bonum, debet amari super omnia, sic peccatum, quo Deum offendimus, quia est summum malum, debet odio haberi super omnia.

Ad *Confessionem* verò, ut sit *valida*, pertinet. 1. Ut sit *Integra*, hoc est, ut omnia mortalia, secùndum speciem et numerum, Sacerdoti manifestentur; 2. Ut *Fidelis*, id est, vera et sincera; 3. Ut *Diligens*, hoc est, ut eam præcedat accurata conscientiæ discussio; 4. *Obediens*, ut scilicet pœnitens habeat propositum faciendi quidquid ei Confessarius injunxerit.

Ad *Satisfactionem* deniquè spectat, ut Deo

Digitized by Google

pro peccatis admissis homo satisfaciat; quod nisi fecerit integrè in hoc mundo, necessariò illi faciendum erit in Purgatorio, cujus pœnæ sui magnitudine (teste *B. Augustino*) excedunt omnia tormenta, quæ sancti Martyres passi sunt in hâc vitâ. Omnes autem satisfactiones reducuntur ad tria genera; ad jejunium aliasque asperitates corporis, ad eleemosynam, et orationem. Atque hæc breviter.

Impedimenta Confessionis et remedia.

QUATUOR abducere solent peccatorem à Confessione. 1. Pudor et verecundia admissorum peccatorum. Huic contrà opponere oportet Dei scientiam, ea omnia cognoscentis, (Confessarius enim illius locum tenet,) et futuram, die judicii, eorum omnium, nisi per Confessionem deleantur, notitiam et confusionem.

2. Timor et horror pœnitentiæ; contra quem ob oculos constituere oportet Christi Martyrumque cruciatus, et Gehennæ tormenta et supplicia.

3. Metus incurrendæ alicujus infamiæ ex eorum confessione, et temporalis damni, si quid restituendum sit. Contra hunc objicere oportet æternam ignominiam, et bonorum æternorum jacturam, ruinamque certissimam.

4. Diffidentia et desperatio alicujus peccati vitandi et contrariæ virtutis adipiscendæ, ut castitatis, &c. Contra hanc diffidentiam timoremque nocturnum opponenda est deli-

Digitized by Google

beratio alacris non ampliùs peccandi; gratia item, quæ ad id præstandum in Sacramento confertur; subsidia orationesque Confessarii; Angeli Custodis Patronique sui tutela et præsidium.

Casus nonnulli, quibus Confessio est invalida, ideoque iteranda.

1. QUANDO, sive verecundiâ, sive malitiâ, omittitur mortale aliquod peccatum.

2. Quando inter confitendum, mendacium dicitur in materiâ peccati mortalis, cum constat et scitur esse mortale.

3. Quando oblivioni traditur peccatum mortale, eò quòd defuerit diligentia necessaria ad sui præparationem.

4. Quando deest propositum et voluntas relinquendi peccati mortalis, vel occasionis certæ aut valdé probabilis illius incurrendi.

5. Quando quis vinculo excommunicationis hæret implicitus, neque antè ejus procuratur absolutio.

6. Quando pœnitens, momenti alicujus res habens, deligit sibi Confessarium ignorantem, ac malè peritum, parumque versatum in casibus conscientiæ.

Quid ante Confessionem agendum.

1. *IMPLORANDUM auxilium divinum ad perfectam cognitionem peccatorum et veram contritionem obtinendam.*

Digitized by Google

2. *Discutienda accuratè conscientia.*

3. *Excitanda contritio, et concipiendum propositum emendationis,*

Oratio ad cognitionem peccatorum et contritionem obtinendam.

EGO, ô Pater æterne, misericordiarum Pater, et Deus totius consolationis, actionum mearum pondera examinaturus, vehementer exhorreo et contremisco. Nam si quid vel studio occultavero, vel per oblivionem ac ignorantiam omisero, ignorare non potes. Ita enim tibi perspecta est vitæ meæ conditio, ut nullus actus, nulla cogitatio, acutissimam cognitionis tuæ aciem effugere possit. Tu enim, Deus meus cùm sis, circumveniri, aut astutiâ aliquâ fallente deludi nullâ ratione potes. Clausa penetras, abstrusa reseras, corda rimaris. Quare à te humiliter postulo, ut omnia peccata, quibus me turpissimè obstrinxi, possim per gratiam tuam recordari, et eorum indignitatem deplorare. Concede mihi Spiritum tuum Sanctum, qui refricet mihi memoriam eorum quæ ex animo effluxerunt; et si à judiciis tuis discessero, ipse cogitationes mentis dirigat, et acerbissimum animi sensum doloremque, qui peccata mea possit eluere, augeat. Eja ergo, anima mea, intra in secretum mentis tuæ cubiculum; præter Deum et te, cætera omnia exclude. Excute torporem, discute conscientiam; noverisque te in conspectu illius consistere, qui nihil impunè abire sinit.

Digitized by Google

Commodè hîc ad Beatam Virginem et Angelum tuum Custodem brevi aliquâ precatiunculâ recurres, ut dignentur tibi adesse, ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum.

Examen, ad Conscientiam discutiendam, accommodatum.

Erga Deum.

AN manè et vesperi consuetas orationes fuderit?

An in oratione vocali, et Missâ auditâ, devotè et attentè se habuerit, necne? Quid omiserit?

An examini conscientiæ vacaverit, ut oportet?

An ex verbo Dei audito, vel lecto, fructum capere studuerit?

De defectibus in confessione, et communione, et in specie, de negligentiâ in se discutiendo, in contritione, in proposito, in curâ emendationis.

An in credendis fidei mysteriis, et in sentiendo vel loquendo de Deo et Sanctis, se habuerit ut oportet?

An curiosus in his quæ sunt fidei perscrutandis vel disputandis, et an superstitiosus fuerit?

An in rebus adversis murmuraverit contra Deum?

An sinè necessitate, reverentiâ, veritate, et

Digitized by Google

justitiâ juraverit; vel juramentum aut aliquod votum implere omiserit?

De memoriâ, gratitudine, et gratiarum actione pro beneficiis à Deo acceptis.

De directione vitæ et omnium suarum actionum ad Dei honorem.

De timore et reverentiâ Dei; et an alio quovis timore omiserit, quæ Deo grata fore judicabat?

An in festis, peculiari modo cultui Dei vacaverit, et in templis, vel in rebus sacris reverenter se habuerit?

Erga Proximos.

AN adulatione approbârit quod non debuit? An impatientiâ, verbo, aut gestu, aut aliter ostensâ, alios offenderit?

An optaverit alicui mortem aut grave aliquod damnum?

An quemquam à meliori bono revocaverit, vel ei causa peccati fuerit?

An facilè de aliis suspicetur malè, et temerè judicet?

De detractione; attingendo defectus aliorum sinè utilitate et moderatione quâ oportet, præsertim cum intentione non bonâ, vel sinè veritate aliquid mali nominis alicui conflando.

De invidiâ; dolendo de auctoritate, doctrinâ, aut bonis alterius.

An luserit ludis vetitis? Ubi de altercationibus, indignationibus, imprecationibus, inter ludendum.

Digitized by Google

Circa obedientiam parentum, præceptorum, aliorumque superiorum; an promptè et sinè murmurationibus, quod præceptum est executus sit?

An de personâ et rebus superiorum, ut oportuit, senserit; et an quid dixerit quod eorum auctoritatem, vel subditorum erga eos benevolentiam imminuerit?

De interiori reverentiâ erga superiores; et an eis contradixerit, aut molestus fuerit?

An parentibus vel aliis aliquid surripuerit, et quantum?

Erga Seipsum.

CIRCA castitatem; an cogitatione, affectu, intuitu, verbo, aut ulteriùs progrediendo, peccaverit?

An in quantitate cibi aut potûs peccaverit? Et sic de aliorum sensuum parùm honestâ libertate.

Circa superbiam; an reprehensus culpam agnoverit, an excusaverit?

An singularis videri voluerit in re aliquâ, aliis se prætulerit, vel eos contempserit?

An libenter de rebus suis loquatur, et amplificet quæ ad laudem faciunt, et demum vanè glorietur?

An, sibi nimis confidendo, exposuerit se periculo peccandi?

De pertinaciâ, de mendacio, de locutione nimiâ, de risu, immodestiâ.

De motibus iræ vel impatientiæ.

Digitized by Google

De somnolentiâ et negligentiâ in studiis, vel aliis rebus ad quas obligatur, et in tentationibus excutiendis.

An tempus inutiliter triverit?

Considerationes ad excitandam Contritionem.

1. PONE ob oculos omnia peccata tua, de quibus instituenda est Confessio.

2. Perpende quis ille sit, et quàm erga te beneficus, quem toties offendisti. Ille enim est, qui te fecit, et ad talem finem; qui te redemit, tam diù expectavit, vocavitque ad pœnitentiam. Ecquid in illo reperisti, ô miser, quod odio dignum esset, ut tam ingratè et impudenter ab eo deficeres? Num quia te creavit, te redemit, &c.

3. Cogita quid per unum peccatum mortale amiseris, quid consecutus fueris. Amisisti gratiam Dei, et singularem illam providentiam, quam habet circa filios suos, conscientiæ pacem, bonorum operum merita, beatam deniquè illam felicitatem, ad quam creatus et redemptus es; æternos tibi cruciatus comparâsti. Quod si temporales res perdidisses, aut aliquem ex familiaribus, lugeres continuò et ingemisceres; et ecce tantam fecisti jacturam, et non acriter plangis? Non jugiter ingemiscis? An non sunt in te viscera Christianæ commiserationis, ut plangas corpus, à quo recessit anima, et non plangas animam, à

Digitized by Google

quâ recessit Deus? Dic, cum Prophetâ, *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, &c.* Jerem. ix.

4. Considera, vel ex hoc, quantus fuerit Dei in te amor, quòd te hactenùs misericorditer ad pœnitentiam expectârit, cùm justissimè potuisset in æternum damnare. Contemplare illum pro te in cruce affixum, et suo sanguine peccatis tuis lavacrum parantem. Audi eum clamantem in cruce, *Sitio*, cùm ardentissimâ salutis tuæ siti ureretur. Vide brachia tendentem, et tot jam annis expectantem, ut aliquando in ejus dulcissimos amplexus ruas, et contrito vehementer corde illud ingemines, *Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15.

Actus Contritionis.

DOMINE Jesu Christe, animarum nostrarum amator ardentissime, qui propter nimiam charitatem, quâ diligis nos, non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, doleo ex intimo corde meo, quòd te Deum meum, Patrem amantissimum, ac benignissimum Redemptorem, cui omnia peccata vehementer displicent, offenderim; qui me usque adeò dilexisti, ut pro me servo vilissimo, sanguinem tuum pretiosum fundere, et mortem acerbissimam subire dignatus sis. O bonitas infinita! Deus meus! utinam te nunquam offendissem, qui infinitè bonus es, et super omnia cordis mei desiderabilia ama-

Digitized by Google

bilis. Ignosce, bone Jesu, ignosce misericordiam petenti; miserere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox sanguinis tui interpellat. Condono ego amore tui, mi suavissime Domine, omnibus qui me unquam offenderunt; firmiterque statuo universa peccata fugere, eorumque occasiones omnes declinare; ea denique, quæ contra immensam bonitatem tuam commisi, in amaritudine animæ meæ confiteri; ac te, Deus meus, propter temetipsum, super omnia in æternum amare. O dulcissime Jesu, da mihi hanc gratiam. *Amen.*

Breviores actus contritionis, quos confessurus sæpè debet repetere.

EX animo doleo de omnibus peccatis meis, idque solùm quia divinæ tuæ displicent Majestati!

O summa Bonitas, cur te offendi? Intimè pœnitet! Jam nunc amo te super omnia, propter teipsum, ô Deus!

Diligo te propter te, ô mi Deus! Ah quàm doleo, quòd offenderim bonitatem tuam!

Habes etiam actus Contritionis, pag. 52 et pag. 53.

Immediatè ante Confessionem præmittas hanc orationem.

O JESU clementissime, ego sum miser et infelix ille peccator, qui tibi tot vulnera inflixi, teque rursus peccatis meis, heu! nimis multis et magnis, crucifixi. Ecce ante Judi-

Digitized by Google

cem, Patrem tamen meum, sto, tot criminum reus, obsecrans te per viscera misericordiæ tuæ, ut per hoc Sacramentum, ad quod recipiendum me confero, aperiantur denuò vulnera tua omnia in conspectu Patris tui, et fluant in immundam animam meam, neque obturentur, priusquàm perfectè me mundaverint; ut pretiosi sanguinis tui inundatione sanctificatus, talis efficiar in hoc sæculo qualem habere me vis in futuro. *Amen.*

Quid in ipsâ Confessione faciendum?

ACCEDAT Confessarium contritus; et utroque genu flexo, et nudo capite, facie non ad vultum, sed ad latus Confessarii versâ, signet se cruce ✠ et dicat: *Benedic, Pater.* Post benedictionem à Sacerdote datam, dicat *Confiteor,* usque ad verba, *meâ culpâ,* &c. Tunc confiteatur sua peccata, atque observet hæc tria:

1. Ut Confessio sit *integra,* nullum peccatum scienter reticeat; nihil enim eum juvaret Confessio, imò novum peccatum sacrilegii ad vetera adderetur. Descendat ad speciem, et, ubi oportet, numerum exprimat, quoad poterit; circumstantias quæ aggravant defectum, quæque augent confitentis contritionem.

2. Ut sit *pura* ab omni mendacio et simulatione, res dicantur sincerè, ut quisque sibi conscius est; certa, ut certa; dubia, ut du-

Digitized by Google

bia. Sit etiam pura ab excusationibus et verbis superfluis; nec quidquam, quod ad rem non faciat, dicatur; nec peccatum aliorum, nec quisquam, sinè necessitate, nominetur; et breviter, quantùm res patitur, se expediat pœnitens.

3. Ut Confessio sit *humilis*, qui confitetur, meminerit, quòd in præsentiâ sit Dei, à quo veniam impetrare debet, ejusque vicarii. Ideò reverentem se præbeat, et verbis utatur accusatoriis sui, sinè affectatione tamen; et dolore non ficto peccata enumeret.

Postremò subjungat clausulam generalem: *De his et omnibus peccatis meis aliis, contra Deum, proximum, et meipsum unquam commissis, vehementer doleo, ex amore Dei, propono emendationem, peto absolutionem et pœnitentiam; et ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, &c.* usque ad finem *Confiteor.*

Postea devotè audiat quidquid Confessarius, vel suadendo vel exhortando, dixerit, et deniquè, pœnitentiâ cum absolutione acceptâ, discedat, paratus exequi quidquid Confessarius præscripserit; nimirum bona aliena restituere, damna resarcire, proximi honorem reparare, in gratiam cum inimicis redire, proximas peccatorum occasiones fugere, &c.

Hìc meminerit Sodalis *Confessario dare nomen in chartâ descriptum, idque singulis septimanis, ex* Regulâ Sodalitatis.

Digitized by Google

Quid post Confessionem agendum?

POST Confessionem denuò se colligat, ac tria observet pœnitens.

I. Pœnitentiam injunctam, cùm primùm licebit, peragat, et propositum firmum renovet, à peccatis quæ confessus est, et ab omnibus aliis, cum auxilio Dei, abstinendi, et occasiones eorum, quoad ejus fieri potest, declinandi; et tum confidat peccata sibi omnia remissa esse, per Dei bonitatem, supplente Sacramenti efficaciâ defectus et imperfectiones admixtas.

II. Ad emendationem se convertat, et observando unum aut duos defectus, (eos potissimùm unde fortè alii non pauci oriuntur,) contra illos armetur, et remedia adhibeat tum communia, quæ sequuntur:

1. Magna voluntas evitandi hujusmodi defectus, crebrò renovata in examine, et cum divino auxilio ad hos extirpandos applicata. 2. Sui ipsius reprehensio et castigatio, cùm peccata acciderint. 3. Memoria Christi præsentis, et oratio ad eundem, præsertim cùm quis impugnatur, aut in aliquâ usitati peccati occasione, quæ evitari non potest, versatur. 4. Consideratio eorum, quæ timorem excitant, ut mortis, judicii, &c. vel amorem Dei, ut beneficiorum, promissorum, &c. Tum propria remedia, quæ juxta consilium Confessarii adhibenda erunt. Utraque autem cum animi magnitudine, et perseverantiâ, et spe victoriæ in Christi gratiâ fundatâ, sunt exercenda.

Digitized by Google

III. Ad augmentum gratiæ se disponat, anteactæ vitæ offensas piis obsequiis compensare desideret in posterum, et ex memoriâ præteritorum malorum ad bona consectanda humilior et ferventior reddatur, &c.

Oratio post Confessionem.

Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. v.

ITA est, Redemptor clementissime, Medice humani generis amantissime. Sanâsti me sanguinis tui pharmaco pretiosissimo. Oleum suavissimum, ex lateris tui fonte sacratissimo haustum, mihi saucio infundere non renuisti. O Samaritane benignissime, agnosco tuum amorem; misericordiam infinitam amplector. Vindicâsti me à morte; filium, judicio et voluntate tuâ, fecisti; hæreditatem vitæ æternæ ad me testamento tuo pervenire voluisti. O miranda et stupenda cæcitas cordis mei! Quid, post tot et tantas curationes, miserâ ægritudine pereo, et manu Salvatoris toties tactus, morbis tamen conficior? Væ mihi misero, si tot medicamentis sanitati non restituar; si nihilominùs, corpore et animo, vitiorum morbis ero obnoxius. Quid igitur facias, bone Jesu? Tu adhibes medicinam, sed æger veneno delectatur; morbum propulsas, ille pestem sibi accersit; tu vulnera alligas, ille obductam

Digitized by Google

cicatricem refricat; manus admoves, ille rejicit. Quid in te reperi, summa Bonitas, Domine Deus meus, ut tam alienum à te animum habeam? Et quid in me inveni, quod tanto amore dignum judicarem? Quoties, Domine, affirmare possum me ex faucibus mortis tuâ bonitate ereptum? Et quoties ego memet-miser perdidi? Utinam digneris, vel hâc vice, mentis meæ aperire oculos, ut me et teipsum agnoscam! Me, ut fugiam tanquam pestem; te autem, ut sequar. Sit tibi, Domine, obsecro, meritis Beatæ semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ et omnium Sanctorum, grata et accepta ista Confessio mea; et quidquid defuit ad perfectionem Contritionis, ad puritatem et integritatem Confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Utilis quædam post Confessionem meditatio, ad emendationis propositum pleniùs confirmandum.

1. CONSIDERET Deum Optimum Maximum super omnia metuendum et amandum; qui condidit, qui restituit, qui gubernat universa; nusquàm non præsens, nihil non videns; ad cujus nutum contremiscunt et pavent columnæ cœli; cujus oculi lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi; et hominum abdita corda intuens. Hunc igitur, tanquam omnium suorum operum inspectorem simul et

Digitized by Google

judicem, quisque semper et ubique præ oculis habeat; et aurea illa *Augustini* sententia ejus cordi infixa hæreat: *Nobis magna est indita necessitas justè rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.*

2. Perpendat etiam, cum Magno *Gregorio*, *Momentaneum esse quod delectat, æternum verò quod cruciat.* O! quàm iniqua permutatio pro levi ac brevissimâ voluptate, gaudiis fraudari perennibus, et sempiternos insuper ac nunquam finiendos dolores tàm brevi delectatione mercari? Et quid, obsecro, optabile in voluptatibus mundi, quæ, dum quæruntur, fatigant; cùm acquiruntur, infatuant; cùm amittuntur, excruciant?

3. Ad turbam quoque vitiorum evitandam et declinandam, non parum conferet, si quis semper et assiduè consideraverit, præter Deum operum suorum omnium inspectorem, etiam Angelum Custodem præsentem.

4. Deniquè multum juvabit, si quis attenderit virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiam, vitam labilem, mortem incertam, puræ conscientiæ pacem, hominis dignitatem, Dei beneficia, et, super omnia, Christi vitam, mortem, et crucem. Christum igitur diligas, et præcepta ejus observes; nec dubites: dabit tibi bona sua, qui dignatus est suscipere mala tua. Grandes quidem labores sunt, sed inæstimabile est præmium, esse quod Martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est.

Digitized by Google

Admonitio ad peccatorem.

Vade, et jam ampliùs noli peccare. Joan. viii.

ET, amabo te, quid est peccare? Quid aliud, quàm Deo Optimo Maximo quasi exprobrare et dicere: *Tu mihi hoc prohibes, sed tamen faciam, etiam in tui contumeliam, inspectante te. Adversaberis adeò, atque execraberis me læsæ tuæ Majestatis reum, tibi perduellem; sed tamen faciam. Proculcabo Jesu Christi sanguinem; tamen faciam. Perennia cœlorum deperdam gaudia; sed tamen faciam. Totos mihi cum Dæmonibus suis accersam infernos; sed tamen faciam.*

Exhorresce, peccator, ac meritò time tibi ab irato Deo dictum iri: *Discede à me, maledicte, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus; sed qui tibi atrocior debeat parari, qui peccâsti plus quàm unâ solâ momentaneâ cogitatione, et, quod caput est, post mortem pro te obitam à Filio Dei.*

Cavendum, quoad fieri potest, à venialibus.

QUIA obligant ad pœnam vitæ præsentis vel futuræ, maculant animam, imminuunt charitatis fervorem, debilitant animi vires in bonis operibus exercendis, differunt cœlestem gloriam, disponunt ad peccatum mortale, juxtà illud Eccl. xix. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ab iis abstinendum, non considerando quòd parva sint, sed quòd Deus, cui

Digitized by Google

displicent, sit magnus, ut ait *Hieronymus.* Neque pro omnibus hujus mundi opibus, vel minimum peccatum est admittendum, *August.* Serm. 41, de Sanctis. *Minimis et quotidianis peccatis licet occidi animam non credamus; ita tamen eam, velut quibusdam pustulis et quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

MODUS DEVOTE COMMUNICANDI.

Ante Communionem.

TRIA servanda. 1. Exigitur dolor de peccatis etiam venialibus; et Confessio, si quid conscientiam gravaret, et breviter quidquid ad puritatem animæ pertinet. Cor etiam purgandum est ab omni amore sensuali, ac desideriis et delectationibus, quæ divinum amorem impediunt; et sensus discretâ quâdam severitate, etiam in rebus licitis, restringendi sunt.

2. Fames hujus cibi excitanda est duplici consideratione: alterâ, excellentiæ et utilitatis hujus Sacramenti; alterâ, propriæ paupertatis ac necessitatis.

3. Profunda reverentia, et humilitas, quæ duabus etiam considerationibus juvatur: alterâ, immensæ magnitudinis, dignitatis, et im-

Digitized by Google

perii Christi Domini, et puritatis, quia nec stellæ in ejus conspectu mundæ sunt; alterâ, contrariæ vilitatis et infirmitatis nostræ, quæ considerata efficiet, ut divinam beneficentiam magni faciamus.

Circa Communionem.

ETIAM tria servanda. 1. Exigitur amor, qui duabus considerationibus invenitur: alterâ, passionis Christi, ex cujus vulneribus amor convenientissimè hauritur; alterâ, præsentis beneficii, in quo tantâ cum dignatione et charitate Jesus Christus se communicat, tanquam familiariter et intimè nobis se conjungens, nec solum ejus Majestas pauperem nostram domum ingreditur, et à nostris vulneribus non abhorret, sed sanguinem etiam suum et corpus in medicamentum donat, ad nos sanandos, præservandos, confirmandos. *Ad hujusmodi amoris exercitium, plurimum conducere videtur, si primo manè ejus diei quo communicabis, te obiter jam in eo exercere incipias, cogitando benignissimum Dominum tuum cum desiderio te expectare in ecclesiâ, ut in animâ tuâ requiescere possit. Deinde si, adeundo illam, cogites quanto gaudio etiam Angelus tuus Custos afficiatur, dum te comitatur euntem, ut suum tuumque Dominum tam suorum amantem hospitio recipias. Idemque de Sanctis etiam Patronis tuis, Beatissimâque imprimis Virgine cogitare licet. Quos propterea, templum jam ingressus, etiam rogare posses, ut amorem tibi*

Digitized by Google

communis Domini sincerum ac dignam Communionem ab eo impetrent.

2. Exercenda spes, considerando in Christo esse quidquid confidentiam excitare potest; hinc quidem, quoniam potest omne bonum nobis conferre, cum sit omnipotens, et indigentiam nostram perspectam habeat. Cum ergo accedamus ad mare immensum bonorum omnium, quomodo non hauriemus aquam gratiæ abundanter ex eo? Inde verò, quia vult omne bonum nobis impertire, cum nos diligat plusquam nos ipsi, magisque largiri nobis sua dona, quàm nos recipere, desideret; cumque, ne meritum desit, suum nobis impendat.

3. Ex intimo corde gratiæ agendæ pro tanto beneficio, et charitate quâ nos complexus est.

Post Communionem.

TRIA denique servanda. 1. Requiritur custodia solicita sensuum, linguæ, et cogitationum, post tantum hospitem domi nostræ exceptum; et si accideret quid committi quod ipsius oculis displiceret, cum dolore ad veniam petendam accedere, et ne à nobis recedat suppliciter orare debemus.

2. Exhibendum huic hospiti quidquid obsequii bonarum operationum, ex ipsius amore, poterimus; et quod iisdem deest bonâ voluntate supplendum, illius gloriæ amplificationem cum maximâ cupiditate desiderando. *Huc pertinet, dic Communionis libenter interesse con-*

Digitized by Google

cioni, frequentare pios cœtus, adesse vespertinis officiis in ecclesiâ, et alia his similia.

3. Debemus assistere summo huic hospiti domi nostræ, suo loco et tempore, per meditationes et orationes devotas; nobis utilia petendo, laudando, gratias agendo, &c. Juvat ad hoc ipsum crebrò ad sanctum hoc Sacramentum accedere; penitùs enim in Jesum Christum ingrediemur, et magis ille participes donorum suorum nos faciet.

Rationes, quibus ad fervens communicandi desiderium teipsum excites.

EXCITET primò propriæ infirmitatis intuitus, quæ te meritò stimulare debet, ut Redemptorem tuum, in hoc Sacramento verè et realiter præsentem, quasi medicum ad te ardenter invites, ut ejus gratiâ et auxilio ab omni infirmitate et imbecillitate cureris. Excitet conscientia delictorum commissorum; ut per eum, quasi per hostiam placationis, à peccatis omnibus expiari et purgari possis.

Excitent pressuræ quarumcumque tribulationum, ut per eum qui amat, nec deserit, aut despicit in opportunitatibus, in tribulatione, ab omni adversitate, citiùs libereris et securiùs protegaris. Hæc est enim mensa, quam paravit Dominus adversus omnes qui tribulant nos.

Excitet gratiarum actio pro beneficiis Dei, cùm nihil possis dignius reddere Deo tuo, pro omnibus quæ retribuit tibi, quàm accipere hos-

Digitized by Google

tiam salutis, Redemptoris monumentum et redempti munimentum.

Excitet laus et honor Dei et Sanctorum, quia nihil habes majus aut dignius hoc Sacramento, quod possis ad laudem Dei et Sanctorum offerre et sumere.

Excitet desiderium efficaciter impetrandæ cujuscumque gratiæ, vel beneficii, quod expetis; ille enim ipse, quem sumere intendis, est fons et origo omnium bonorum et gratiarum. Per illum (ait *Bernardus* Serm. de Cœnâ Domini) minuitur in minimis peccatis sensus, in gravioribus tollitur omnis consensus. Per illum vim concipimus potestates Satanæ repellendi, (ait *Ignatius* Episc. et Mart. 14. ad Ephesios,) et terribiles reddimur inimicis nostris, tanquam leones (inquit *Chrysostomus*, Homil. 61. ad pop. Antioch.) ignem spirantes, sanguine scilicet Jesu Christi imbuti. Per illum vires dantur, non solùm ad omnem languorem et teporem pellendum, sed ad ipsum etiam martyrium subeundum, (ut ait *Cyprian.* lib. 1. Epist. 1.) Ille demùm in Eucharistiâ est viaticum peregrinationis nostræ, et (Ecclesia canit) futuræ gloriæ pignus.

Excitet charitas et compassio proximorum, quia tam pro salute vivorum, quàm pro mortuorum requie et refrigerio, nihil interpellat efficaciùs quàm sanguis Domini Jesu.

Excitet postremò amor ipse Domini tui, cujus cùm deliciæ sint versari cum filiis hominum, propterea se in hoc sanctissimo Sacra-

Digitized by Google

mento collocavit, ut nobiscum uniri posset; redama et tu illum, eumque sæpè et libenter ad te invita, et intimè ei uniri desidera. Denique si expetis, ut unicè velle et optare debes, Christo Domino tuo perpetuò in cœlis adesse, et hîc eum in Eucharistiâ præsentem, frequenti et ferventi charitatis affectu complectere, illoque delectabiliter fruere. Nam si hîc verè præsens est thesaurus tuus, spes tua, fortitudo tua, solatium et gaudium tuum, quî fieri potest, ut, rebus omnibus terrenis contemptis, huc non transferas cor tuum, illumque tibi ipsi et cordi tuo reipsâ unias?

Aliquæ considerationes ad ingenerandam animis nostris reverentiam erga hoc Sacramentum.

1. QUIS ego sum, benignissime Jesu, ut desiderio apud me manendi tenearis? Num vilissimam originem meam ignoras? Non sum ex numero cœlestium illarum legionum, non sum Seraphim, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis Spiritibus. Homo sum, antè nihil fui, ex terræ limo ducens initium. *Putredo pater meus est, mater mea et soror mea vermes. Job.* 17. Quid igitur reperis in me, quod te tantoperè delectet, et ad tectum ac domum meam invitet?

2. Sed fortassè, ô speciosissime formâ præ filiis hominum, deliciæ tuæ sunt esse cum filiis hominum. Verùm non sum ego Moyses, non Abraham, non Jaçob; longè absum à sanctitate Joannis, à puritate Mariæ Virginis,

Digitized by Google

à charitate Apostolorum, à Sanctorum tuorum perfectione. Peccator sum, tuâ præsentiâ indignus, qui te pro fœdâ voluptate et lucro temporali non semel Judæis vendidi; et ego te jam cum Judâ deosculabor, et, velut regem Judæorum salutans, arundine, hoc est, vacuitate virtutis et levitate nimiâ vitæ meæ, caput tuum percutiam?

3. Si Sanctus Joannes Baptista, in ventre Matris sanctificatus, ut tantus et tam admirabilis, non reputat se dignum, qui tangat aut solvat corrigiam calceamenti tui; si Sanctus Petrus, Apostolorum princeps, præsentiam tuam in naviculâ suâ extimescens, dicit, *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*, Luc. v. si Centurio indignum se ducit, sub cujus intres tectum; quomodò ego, totus in peccatis natus, audebo te, non dicam tangere, sed etiam in me accipere et manducare? O flos campi, ô lilium convallium, panis Angelorum, quomodò nunc à bestiâ manducaberis? Quomodò qui pasceris inter lilia, pascuæ locum apud me inter spinas et tribulos invenies?

4. Si Oza Sacerdos, tantùm quòd Arcam Testamenti attigisset, non eâ quâ debuit reverentiâ et puritate, repentinâ morte à Deo punitus est; si Bethsamitarum quinquaginta millia occidit Deus, quòd curiosè et irreverenter eamdem Arcam aspexissent; non erit mihi timendum, qui non accedo ad tangendam vel inspiciendam Arcam Testamenti, sed ad divinissimum corpus tuum, Arcam scilicet veram

Digitized by Google

Testamenti, Testamenti in quâ inclusi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei, complectendum et manducandum?

5. Sed tamen memini, Domine, quia meretricem suscepisti, quia cum peccatoribus manducâsti, quia gratiores tibi multò fuerunt Magdalenæ lacrymæ quàm Pharisæi epulæ, quia non indignatus es à muliere, profluvio sanguinis laborante, fimbriam vestimenti tui tangi, quia cæcos, claudos, immundos, leprosos ad te appropinquantes non rejecisti. Ideò ad te venio, alacris et bonæ spei plenus, quòd me non rejicies, nec repudiabis. Quare, ô bone Jesu, venientem me recipe, ac tibi per hunc mysticum panem, quem in me recipere ardeo, conjunge.

6. Si me, ô suavissime Jesu, ab hâc mensâ justissimus timor, quem magnitudo scelerum meorum generat, abducit et abstrahit, ad eam spes et amor, quem cognita miserationum tuarum immensitas parit, invitant, urgent. Scio te esse, qui dixisti: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, Matth. ix. et *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*, Matth. ix. Ideòque Zachæo publicano, tui videndi desiderio æstuanti, non ostendisti te tantùm, sed et eum benignè compellâsti, ad ejus domum accedere, cum eo agere, manducare voluisti. Ut quid ergo de tuâ misericordiâ, bone Jesu, diffidam? Cur ad mensam tuam invitatus, adire refugiam? Imò cur ad eam non actutùm provolem? In eâ enim pharmacum sa-

Digitized by Google

lutis, antidotum contra infirmitates meas potentissimum, porriges; in eâ propinabis mihi vinum, quod germinare facit virgines, quod serpentes interimit, quod vitam mortuis restituit; in eâ, si infirmus sum, confido me sanandum; si debilis, confortandum; si mortuus, ad vitam revocandum; si tepidus, accendendum; si ardens, inflammandum; si cæcus, illuminandum; si elisus, erigendum; si nudus, vestiendum; si sordidus, abluendum; si pauper, ditandum. Venio ergo, Domine; ostende mihi faciem tuam, ingredere in domum meam; dicas, quia salus est facta domui meæ; et cur non salus illi fiet, si ad eam Salvator accesserit?

Aspirationes aliquot spiritualem famem hujus sanctissimi Sacramenti excitantes.

1. QUID tibi, Domine Jesu, ut venias ad me, atque sic te mihi communices? Quis enim tu, et quis ego? Tu Creator, ego creatura; tu Dominus, ego nihil; tu sanctitas ipsa, et bonitas, et beatitudo, ego impius, flagitiosus, et infelix. Cur mortem minaris, nisi te accepero? An tu fortassè præ amore mei nescis quis, qualis, et quantus sis? Sed quia scis, et ad me tamen adire vis, non refugio, non tergiversor. Veni ergo, Domine, et noli tardare; tui enim amore langueo.

2. Euge, anima mea, annuntio tibi gaudium magnum; gaude et lætare quia venit ad te creator tuus, pater, pastor, sponsus tuus, Deus et homo, Christus Jesus, cujus deliciæ sunt

Digitized by Google

esse cum filiis hominum. Compone te ergo, et dilatare ad tantum hospitem capiendum; evacua locum cordis tui. Ecce nunc amplissimo beatissimæ Divinitatis, sanctissimæ animæ, corporisque gloriosissimi munere auctam te esse desiderat. Occurre illi cum muneribus. Sed quid tibi offeram, bone Jesu? Quid me opus habes, qui omnia habes? Si me totum dedero, quantulum id est! Si, quod aliàs facere assoles, cor meum petis, illud tibi offerre non audeo; est enim immundum, est frigidum, est asperum, est te planè indignum. Quod si omninò dari tibi illud vis, offero penitùs, et, qualecumque sit, dono. Si enim immundum est, purissimi sanguinis tui balneo, quod mihi paratur in hoc Sacramento, lavabis; si frigidum, charitatis tuæ non tam igne, quàm incendio, quod in Eucharistiâ fervet, accendes; si durum et asperum, benignitatis tuæ oleo gratiæque unguento, cujus plena sunt hæc mysteria, lenies; atque sic lotum, accensum, mollitum, nec prorsùs tuâ misericordiâ indignum, cor meum accipies, et cor mihi tuum porriges. Accipe me tibi, bone Jesu, et te totum dona mihi. Accipe, cum corde meo, totum amorem meum, et porrige amorem tuum.

3. Scio, ô bone Jesu, dulcedo cordis mei, æternum bonum meum, quia amas me. Quæ enim alia fuit causa, ut, dum se Judas componeret ad tui proditionem, tu horum quasi nescius omnium, Sacramentum hoc institueres? Nisi ut vicissim parares nobis amoris funes et

Digitized by Google

vincula, quibus nos tibi constringeres, et gloriam, quâ nos æternùm beares? Nisi ut passionis tuæ vivam nobis relinqueres memoriam, quâ procuratæ nobis per eam salutis, demonstratæque tuæ admirabilis et planè nimiæ charitatis, essemus perpetuò memores? Agnosco ergo mysterium, agnosco charitatem, de quâ verissimè scriptum, quia aquæ multæ, passionis scilicet, non potuerunt extinguere, nec flumina obruere eam. Quocirca, ut eo charitatis igne incalescam, ut gratam vicem amoris rependam, ut à te cruciatibus nullis desciscam, venio ad te, bone Jesu. Os meum, per hanc participationem corporis tui, lateri tuo applicare, et sanguinem tuum exsugere, ardeo. Sic enim magnitudinem amoris tui non tantùm intelligam, sed et palpabo quasi, et intimis præcordiis sentiam; ut in me semper maneas, et ego in te. Veni ergo, Domine, et noli tardare.

4. Scio, amator hominum, suavissime Jesu, dum corpori tuo pretioso communico, fieri me templum Spiritûs Sancti, tabernaculum Sanctissimæ Trinitatis, sepulchrum vivum tuum, hospitem etiam tuum, imò sponsam tuam; ideòque, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, Psal.* 41, ut in me habites, apud me commoreris, in me vivas, et ego in te, ac non jam te convertam in me, sed convertas me in te, qui es vita et salus mea unica. Festina ergo, Domine, ne tardaveris; patent tibi cordis mei penetralia; compositum sepulchrum,

Digitized by Google

in quo, non quadraginta horis, ut in illo lapideo, sed in perpetuum conquiescas.

5. Non ignoro, pientissime Jesu, carnem meam, dum communico, tangi à benedictâ carne tuâ, manus me tuas osculari, complecti sacrum corpus. Tui propterea sumendi desiderio exæstuo. Scio, dum te in me accipio, me quemdam quasi cœlestem fieri paradisum; ubi enim Deus est, ibi et paradisus est. Cupio ergo ex te audire jam glorioso, quod olim à mortali et crucifixo audiit latro: Fili mi, *hodiè mecum eris in paradiso*, *Luc.* 23. Scio deniquè, dum communico, fieri me aulicum tuum, assidere mensæ regiæ, vesci epulo pretiosissimo, panem Angelorum sumere, delicias cœlestes prægustare, gratiâ compleri, futuræ gloriæ pignus accipere, ac denique bonis omnibus cumulari. Eapropter cor meum et caro mea exultaverunt in te Deum suum; tuas delicias, tuum convivium anhelant.

Hæ Aspirationes, uti et præcedentes considerationes, non debent simul omnes recitari, sed nunc tres, nunc quatuor aliquando, sed rarò plures. Neque obiter, et leviter, sed pedetentim sunt concipiendæ.

Circa ipsam Communionem brevis Oratio.

ERGO, ô bone Jesu, dulcissime et amantissime Jesu, deliciæ meæ, amor meus, æternum bonum meum, melliflue et desideratissime Jesu, miserere mei, conjunge me tibi, *Quia ego servus tuus sum et filius ancillæ tuæ;*

Digitized by Google

Ecclesiæ, et Mariæ. Paratum tibi cor meum; *Fiat mihi secundùm verbum tuum.*

De corporis compositione in sacrâ Communione.

QUOD ad corporis compositionem attinet, ea sit ejusmodi quæ tantum Sacramentum deceat, et nihil insolens habeat, et sacerdoti sacram hostiam porrigenti molestiam non adferat. Itaque genua flectantur, manus complicentur, non ad os elevatæ, ne sacerdotem impediant, sed circa pectus decenter compositæ. Caput sinè motione sit, in neutram partem inclinatum, aut anteriùs demissum; sed moderatè elevatum, ut citra difficultatem à sacerdote os attingatur. Oculi, vel clausi vel demissi; turpe enim est eo tempore, vel sacerdotem aspicere, vel aliò oculos convertere. Os omnino quietum, sinè ullâ lectione, vel labiorum motu, honestè apertum, non nimis diductum. Lingua extremum labium attingat, non nimis extensa, ut hostiam suscipiat et in os deferat, salivâque reverenter liquefactam in corpus demittat; non enim est dentibus terenda, vel palato admovenda, sed ante ablutionis (ubi consuetudo est ut detur) sumptionem deglutienda. Corpus totum erectum sit, et sinè ullo motu quietum. Suspiria, fletus, gemitus, pectoris tunsiones, exclamationes, vocales orationes, et id genus alia, quæ non rarò periculum adferunt, vel casûs sacræ hostiæ, vel contactûs dentium aut labiorum, Communionis tempore omittenda. Oret tunc solus

Digitized by Google

spiritus, sanctâque et suavi in Deum meditatione feratur.

A Communione sumptâ.

Statim dices: Inveni quem diligit anima mea, &c. *et recitabis* Anima Christi, &c. *ut suprà, pag.* 40.

Deinde Communionem sanctam offeres Deo Patri, et referes in quatuor fines, ob quos offerri solet Sacrificium, nimirum: 1. In adorationem seu agnitionem supremi Dei nostri in nos dominii. 2. In gratiarum actionem pro beneficiis. 3. In propitiationem pro peccatis. 4. In impetrationem bonorum in futurum; idque non tantùm pro teipso, sed et pro aliis quibuscumque. *Dic ergo:*

QUID retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Quid pro tantâ gratiâ, tantâ liberalitate, tanto amore? Ecce, Domine, tu nôsti figmentum meum; substantia mea tanquàm nihilum ante te; et si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione tuâ, tanquam nihilum reputabis eam. Quid igitur rependam? Certè, sicuti nihil sum, ita nec quidquam possum ex me rependere. Ad te igitur venio, mi bone Jesu, ad te recurro. Cùm scires paupertatem meam, mihi te ut abundanter me ditares, exhibuisti, te tradidisti, te donâsti; mihi enim natus es, mihi datus, imò et mihi olim in cruce mortuus. Patere ergo, ô benignissime Jesu, ut Patri

Digitized by Google

tuo et meo, te modò in holocaustum et placentem hostiam exhibeam. Protector noster, aspice in faciem Christi tui. Hic est Filius tuus dilectus, in quo tibi benè complacuisti; hic est Dominus ac Salvator meus, verus Deus, verus homo.

1. Hunc igitur, ô sanctissime Pater, Filium tuum dilectissimum ac Redemptorem meum, tibi offero cum omni passione, meritis, ac virtutibus ejus, unà cum Beatissimæ Virginis Matris, sanctorumque Angelorum, et beatorum omnium in cœlo regnantium, ac hominum tibi in terrâ ministrantium virtutibus, meritis, reverentiâ, cultu, amore, bonis deniquè omnibus, ipsis liberaliter à te concessis, in agnitionem supremi, quod in res omnes creatas exerces, dominii; in cujus testimonium, supremam Majestatem tuam supplex adoro, profiteorque sacratissimam Christi Jesu humanitatem, cum omnibus gratiis ac meritis; deinde Virginem Matrem ejus sanctissimam, cum omnibus etiam prærogativis et virtutibus; sanctos deniquè Angelos, cæterasque omnes creaturas, ac in primis meipsum totum cum omnibus meis, à te totaliter dependere, à te retineri, gubernari, perfici. Quapropter, cum omnibus supradictis, me tibi offero totum, ut de me, meisque, semper et ubique disponas, secundùm beneplacitum tuum, quia ego servus tuus sum et filius ancillæ tuæ.

2. Hunc eumdem Dominum ac Salvatorem meum offero summæ Bonitati tuæ, in gratiarum

Digitized by Google

actionem pro omnibus beneficiis et gratiis cuicumque creaturæ collatis. In primis pro plenitudine gratiarum, in hunc Salvatorem meum effusarum; pro omnibus malis, quæ pro nobis pertulit; pro omnibus bonis, quæ per illum consecuti sumus; atque, in primis, pro augustissimo hoc Sacramento, quod ad salutem et consolationem nostram instituit. Deinde pro summis gratiis et virtutibus Beatæ Virgini, ejus matri sanctissimæ, collatis; pro prærogativis beatissimo *Joseph*, Mariæ sponso et Jesu nutritio, concessis; pro gratiis et privilegiis innumeris, sanctis omnibus liberaliter donatis; deniquè pro omnibus beneficiis, quæ contulisti et quotidiè confers Ecclesiæ tuæ, omni statui, omnibus ordinibus religiosis, imò verò hostibus tuis et inimicis, perversis catholicis, hæreticis, paganis, &c. qui non agnoscunt te, nec quem misisti Jesum Christum. Nominatim verò offero pro meipso, et pro omnibus bonis mihi concessis; nimirum quia me creâsti, quia me redemisti, quia vocâsti ad sanctam Fidem tuam, deniquè quia me toties pane hoc Angelorum satiâsti, et omnibus cum illo bonis replevisti. Suscipe me propterea in servum perpetuum.

3. Hunc eumdem Dominum ac Salvatorem meum divinæ misericordiæ tuæ supplex offero pro peccatis totius mundi, contra te à quibuscumque hominibus commissis; in Europâ, in hac provinciâ, in hac civitate, in domo nostrâ, à meipso, à parentibus, &c. ut ea

Digitized by Google

omnia nobis omnibus clementer remittas et condones.

4. Hunc ipsum Dominum ac Redemptorem meum, divinæ liberalitati tuæ supplex offero in utilitatem omnium qui sub cœlo degunt, ut omnes gratias ad salutem necessarias et tandem vitam æternam consequantur. In primis, pro meipso, ut mihi gratias meo statui convenientes largiaris; da mihi veram fidem, timorem sanctum, humilitatem, castitatem, et munditiam cordis, cæterasque Spiritûs Sancti virtutes, et in eis usque ad finem perseverantiam. Deinde offero pro omni statu Ecclesiæ, ut in eâ conserves veram sinceramque fidem; eam gubernes, amplifices; ejusdem inimicos visibiles et invisibiles retundas; destruas errores, schismata, superstitiones, scandala; et quidquid eam perturbare, ejusdemque decorem quovis modo obscurare potest, tollas. Offero nominatim pro summo Pontifice, ut ei sapientiam ac Spiritum Sanctum tuum infundas, ad populum Christianum sanctè gubernandum. Offero item pro cardinalibus, episcopis, prælatis, pastoribus, sacerdotibus, confessariis, concionatoribus, magistris, religiosis omnibus, &c. ut eis sanam doctrinam, virtutem, ac vitæ sanctimoniam statu suo dignam largiaris; et pro omnibus Ecclesiæ hostibus, hæreticis, Judæis, infidelibus, paganis, in quâvis orbis plagâ degentibus, ut illuminentur qui in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis. Offero deniquè pro omni statu

Digitized by Google

sæculari ; pro regibus, principibus, judicibus ; pro parentibus, consanguineis, amicis, inimicis ; pro afflictis, tentatis, incarceratis, cæterisque omnibus, pro quibus se Dominus meus Jesus in cruce tibi obtulit ; ut eis veram fidem, religionem, pacem, concordiam, prosperitatem, consolationem, constantiam, omnem deniquè in hac vitâ benedictionem, et in futuro gloriam æternam largiaris. *Amen.*

Perbreves aspirationes post Communionem.

1. MIRANTUR, bone Jesu, creaturæ omnes te in purissimum Mariæ matris tuæ uterum descendisse, cum tamen integerrima illa, et omni virtute et gratiâ refertissima fuerit : at quantò mirari magis debeo voluisse te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, deformi, inopi, sordido peccatore ?

2. Tùne, Domine, in me manere, et inter vasa electorum tuorum collocare me vis, qui vas fui hactenùs immundum et sordidum ? Et quamvis singulari tuâ gratiâ per pœnitentiam, ut spero, ablutus sum, numquid tamen vas olim ad excipiendos vomitus destinatum, nullam, vel solâ recordatione, nauseam movebit ? Itáne in me manere dignaris, et tanquam vasculum, aut pyxidem sacrarum reliquiarum, imò corporis tui sacrosancti constituis ?

3. Benedicant te omnes Angeli tui, bone Jesu, quia, quod proprium est sponsi et sponsæ, tibi me vis inseparabili vinculo conjungere. Effice ergo, te unum ut diligam, te unum ut sitiam et

Digitized by Google

amem; ac nullæ me mundi illecebræ, nulla carnis voluptas, nullæ dæmonum insidiæ abs te unquam avellant et separent.

4. Da mihi præsentiæ tuæ effectus persentiscere, ô bone Jesu! Memini benedictionum, quibus cumulâsti eos, qui te aliquandò in domum suam acceperunt. Mariam matrem tuam, ubi in uterum te suum accepit, omnibus donis et gratiis complevisti; *Zachæum*, illum publicanorum principem, quod te acceperit hospitio, cœlesti benedictione cumulâsti; simul atque, obitâ pro nobis morte, in infernum descendisti, illum in paradisum quemdam commutâsti; domum *Obededom*, in quâ Arca Testamenti, hujus Sacramenti umbra tantùm et figura, reposita fuit, omni benedictione locupletâsti. Da quoque domui meæ, in quam ingressus es, benedictionem; eam, quæso, in paradisum virtutum converte, eam donis tuis et gratiis cumula.

5. Memini, pientissime Jesu, sacris de te literis esse mandatum, quòd omnis turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat, et sanabat omnes. Ecce ego jam non tetigi tantùm, sed in me quoque accepi; exeat, quæso, à te virtus, quæ omnes languores meos sanet, quæ vires novas sufficiat ad serviendum tibi, &c. Simul atque anima tua pretiosissima ex sacratissimo tuo corpore egressa est, ô Jesu pro nobis crucifixe! voluisti corpus tuum, myrrhâ et aromatibus conditum, sindoneque purissimâ involutum, inferri in sepulchrum, petrâ benè munitum, et jam toto terrarum orbe gloriosum.

Digitized by Google

Et ecce modò (quæ tua est incomprehensibilis bonitas) corpus idem tuum à morte suscitatum, animâque beatissimâ informatum, mihi porrigis, ut illud in me, tanquam in sepulchrum aliquod, inferam et recondam. Da ergo mihi, obsecro, fortitudinis petram, ad vincendas omnes imperfectiones, et ferendas omnes adversitates, labores, et pericula omnia, quæ pro tuo honore, et meâ salute, mihi sunt sustinenda. Da quoque mihi linteum, sindonemque castitatis et puritatis; dona postremò myrrham mortificationis, ut hujus divinissimi Sacramenti gratiâ delibutus, à criminibus purus et integer, nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar et corrumpar; sed odor, et mihi et aliis omnibus, sim in vitam, tibi verò in nominis tui gloriam sempiternam.

Possunt et aliæ orationes recitari ante et post Communionem. Si hæ non sufficiant, vide infrà, Modum colendi Venerabile Sacramentum, *pag.* 121, *ubi multa reperies quæ usui esse possunt.*

Concludes hâc oratione Petri Canisii *ad Beatam Virginem.*

COMMENDO me tibi, serenissima verèque inclyta Virgo Maria, cœli ac terræ Regina, quæ in tuo sacratissimo utero eumdem Dominum, et omnium Creatorem, quem ego modò suscepi, de Spiritu Sancto conceptum, dignè portâsti. Precor te, Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum

Digitized by Google

intercedas, et quâcumque ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiæ et indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens; post conceptum Filium etiam castior, purior, et sanctior, Deoque gratior evasisti. Utinam et me tam divini Sacramenti perceptione ita sanctifices, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati maculâ tuear impollutum. Tu, concepto Filio de Spiritu Sancto, magnificas laudes Domino lætè decantâsti, et in salutari tuo mirabiliter exultâsti; ô si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hâc sacrâ Communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione piâ verser, tantoque redemptori et hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam! *Amen.*

Si dies sit Communionis generalis, sequenti oratione applicabis indulgentiam defunctis.

JESU Christe, sponse et amator Christianarum animarum, adjutorque earum in tribulationibus, indulgentiam hujus Communionis à tuo Vicario, tuo nomine et auctoritate iis concessam, attribuere pro tuâ pietate digneris animæ patris, matris, fratris mei, &c. aut (si eâ ipsi non egeant) aliis quas ipse designabis; nec permitte ut peccata aut negligentiæ meæ fructum impediant, quem tu illis liberaliter offers, qui amas dici Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. *Amen.*

Digitized by Google

Reliquo die, habebis frequenter in ore sequentes orationes jaculatorias, ad fovendam pietatem erga tantum Sacramentum.

Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. *Deut.* iv.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se. *Psal.* cx.

Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? *Isa.* lxvi.

Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit. *Luc.* xxiv.

MODUS LEGENDI LIBROS SPIRITUALES.

LIBRORUM sacrorum piorumque lectio, dominicis præsertim festisque diebus, usurpanda est. Si enim externis occupationibus ac negotiis, aut studiis profanis, integras hebdomadas damus, meritò dies festos, Deo et saluti animæ nostræ dicatos, piis studiis, auditioni verbi Dei, et sacræ lectioni tribuere debemus. Nolumus hoc loco ingentes utilitates, quæ ejusmodi sacrorum librorum lectionem consequuntur, exponere; satis enim multi multa hâc de re scripserunt, et quotidiana experientia plus satis id confirmat.

Danda autem in primis est opera, ut quàm utilissima instituatur lectio tota:

Digitized by Google

1. Ut non multa simul legantur, aut obiter percurrantur.

2. Ut quæ lecta fuerint et notata, ad nos ipsos accommodemus, et ad salutem nostram referamus.

3. Unà dispiciendum est, quâ ratione, suis temporibus, ea quoque possimus in aliorum utilitatem convertere.

4. Prodest non mediocriter, ut in aliquibus egregiis sententiis hæreamus diutiùs, et quæ lecta fuerint expendamus, et taciti ruminemus, ac memoriæ imprimamus.

5. Magis semper in lectione inquirendum, quod mores nostros ad virtutem instruat, quàm quod intellectum acuat ad disputandum, vel linguam expoliat ad eloquendum.

6. Lectionem debet præcedere, et subsequi, imò nonnunquam comitari et interrumpere, oratio; ut nimirum non tantùm erudiatur intellectus, sed et inflammetur affectus, per orationem.

MODUS AUDIENDI VERBUM DEI.

EXPEDIT homini Christiano sæpiùs audire verbum Dei, ut augeatur ipsius fides, spes, charitas, ad cæteras animo virtutes inserendas, et extirpanda vitia; neque satis est pios lectitare libellos, cùm viva vox plus habeat energiæ quàm lectio.

Ut autem fructum ex verbo Dei referamus,

Digitized by Google

ante concionem aut exhortationem, *hæc nobis observanda sunt:*

1. Ut conferamus nos ad Deum ipsum audiendum, per vicarium suum loquentem. *Non enim,* (ait Christus, *Matth.* 10.) *vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

2. Petamus Dei gratiam, ut mentis aures nobis aperiat

3. Constituamus firmiter nos ea perfecturos, quæ nobis dicta existimaverimus.

Tempore concionis, attentè audiamus concionatorem, vel exhortatorem, non ut sua, sed Dei verba promentem; et quæ dicuntur, nobis ipsis, non aliis accommodemus.

Post concionem, quæ dicta sunt summatim nobiscum repetamus; *sæpiùs* consideremus modum ea perficiendi quæ nobis conveniunt; et, cùm occasio sese obtulerit, executioni mandemus: *Beati enim qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Luc.* xi.

MODUS RECTE UTENDI

Suffragio, et Sanctos honorandi, quos in patronos, singulis mensibus, sortitò accipiunt Sodales.

SODALITAS in primis ad augendum in alumnis suis Sanctorum cultum et honorem, ad persentiendam, ipsorum meritis et suffragiis, opem Dei efficaciùs, mensibus singulis

Digitized by Google

unicuique Sanctum aliquem designat, quem quisque toto mense colat; cui se crebrò, manè potissimùm et vesperi, commendet; quem, sacris illius feriis, peculiari studio cultuque observet et veneretur, in ejus scilicet honorem divinam rem audiendo, vitam ejus legendo, recitando hymnos, psalmos, aut alias orationes, faciendo aliquos devotionis actus, ut sunt genuflexio, tunsio pectoris, refrænatio linguæ, fuga dissolutionis, &c. opus etiam aliquod misericordiæ obeundo, aliquam eleemosynam faciendo, &c. deniquè virtutum ejus aliquam ad imitationem sibi proponendo; rectè enim Beatus Chrysostomus: *Quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium.*

Deindè præter Sancti electionem, adjungitur singulis sententia, vel ex Scripturis sacris vel sanctis doctoribus deprompta, eam ut observent, et quod monet aut postulat, exequi studeant; eumdemque ad finem etiam virtutum Christianarum aliqua adscribitur, ut in eâ se particulatim exerceant.

Prætereà nominatim, certus aliquis ex Sodalibus commendatur, pro cujus incolumitate et salute, toto mense, peculiari curâ alter Deo supplicet; quod genus orationis, ut Deo est gratissimum, ita et fructuosissimum, ob virtutem charitatis, quam ea oratio in se complectitur. *Pro se orare*, ait quodam loco Beatus Chrysostomus, *necessitas cogit; pro aliis autem, charitas fraterna hortatur. Dulcior*

Digitized by Google

autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. Et Beatus Gregorius, in Moralibus: *Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potiùs ex charitate suffragatur; et pro semetipso tantò faciliùs exaudiri meretur, quantò magis devotè pro aliis intercedit.*

Ad hæc, pro negotio aliquo pio, aut Ecclesiæ necessitate aliquâ, vel pro ecclesiasticis aut politicis magistratibus, principibus, dominis, &c. postulatur oratio. Itaque, ea Sanctorum electio auget eorum in Sodalibus cultum, ipsorumque suffragia facilè impetrat; fovet mutuam inter Sodales charitatem; facit ad Ecclesiæ et prælatorum bonum, aliasque utilitates, et commoda adfert non mediocria, ut propterea meritò non sit negligenda.

Oratio ad Patronum menstruum,

complectens paucis quidquid jam dictum est; quotidiè à Sodalibus *recitanda, cum* 3. Pater *et* Ave.

DEUS, qui mihi per singulos menses aliquem ex cœlitibus tuis patronum assignas, cujus suffragiis protegar, concede propitius, ut per intercessionem sancti N. quem hoc mense patronum de tuâ benignitate suscepi, ego et N. pro quo et N. effundere preces decrevi, gratiæ tuæ præsens augmentum sentiamus, et ejusdem gratiæ muniti auxilio vir-

Digitized by Google

tutem N. quam exemplo suo docuit, exercere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

* *Genus et numerus, prout constructio postulat, varianda.*

Puncta aliquot circa venerationem Sanctorum utilissimè expendenda.

I. CONSIDERABIS Sanctos esse cohæredes Christi et cœli principes, jamque in æternâ illâ gloriâ collocatos, à sanctis angelis ipsâque sanctissimâ Trinitate honorari, cujus beatissimâ visione perfruuntur; ex quo agnosces, quo honore et observantiâ à te coli debeant.

II. Considerabis Sanctos maxima tibi et innumerabilia beneficia à Deo impetrare posse, sicut multis aliis impetrârunt. Itaque concludes vehementer tibi expedire eos habere amicos, in horâ potissimùm mortis, in quâ circumdatus impuris spiritibus ad exitium tuum paratissimis, felix eris, si aliquos Sanctos, à te diligenter cultos, tibi assistentes habere possis, qui te juvent, qui Tartareas furias in fugam vertant, ac te æternæ beatitudini, in quâ ipsi nunc triumphant, adscribi postulent, atque à Deo impetrent suis precibus.

III. Procurabis tibi confusionem, conferens Sanctorum vitam cum tuâ; quàm nimirum hæc flagitiosa sit, et differat ab illorum piâ conversatione; ponderando ex unâ parte virtutes eo-

Digitized by Google

rum et mores sanctos; ex alterâ multitudinem tuorum peccatorum.

IV. Pones tibi ob oculos Sanctorum labores et ærumnas, quas in hoc mundo, pro Christo Domino, assiduè pertulerunt; ipsorum fidem, spem, charitatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, zelum, invictam in certaminibus et tormentis fortitudinem, insuperabilem in oppetendâ morte alacritatem; deniquè apostolorum martyrumque inclytam firmitatem, ac in mediis difficultatibus perseverantiam; confessorum verò, monachorum, religiosorum vigilias, jejunia, solitudines, vitæ asperitates, corporis mortificationes, studia, pœnitentias, lacrymas, et cætera id genus pietatis exercitia; virginum deniquè et sanctarum mulierum integerrimam castitatem, exhaustos pro eâ servandâ labores, angustias, persecutiones, torturas, flammas, mortem— quæ quidem omnia admirabilis consecuta est beatitudo, et gloria nullis annorum myriadibus terminanda. Contrà verò videbis, quàm brevi felicitas impiorum (si modò felicitas, quæ illos rapit ad æternos cruciatus, appellanda est) finiatur, pœnâ eam subsequente intolerabili, et in omnem duraturâ æternitatem.

V. Postremò excitabis te ad amorem Dei, qui auctor fuit et principium omnis Sanctorum virtutis, et sanctitatis, ac per consequens gloriæ cœlestis, quæ eam sanctitatem excepit. Tantum itaque tantorum bonorum fontem et auctorem amabis et miraberis, gratiasque illi,

Digitized by Google

quantas poteris, ages, de omni ejus gratiâ et misericordiâ concessâ Sanctis, quam rogabis tibi etiam concedi et donari, ut ad eorum societatem pertingere aliquando possis.

MODUS GERENDI SE IN LUSU ET COLLOQUIO.

DIEBUS veniæ cave, et quàm diligentissimè vita, non solùm malos et vetitos, sed quâcumque ex causâ suspectos sodales et lusus; loca etiam periculosa et noxia. Nihil deniquè agas, dicas, cupias, quod coram parente vel præceptore non auderes; nam et angeli tibi adsunt, et ipse Deus, quem neque latere potes, neque debes minùs, sed multò magis, quàm tuos socios, parentes, et præceptores vereri.

Deinde horum duorum ubique et semper memineris:

1. *Dei sunt omnia quæ habes, et bona, et membra, &c.* Quocirca omnia sibi reddenda meritò statuit. Cave ne ad alia his utare, quàm ad ea propter quæ tibi illa concessit. Quomodo enim hoc furtum restitues, cùm illi debeas insuper omnia?

2. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; omnia verò quæcumque vis, ut faciant tibi homines, et tu fac illis.* Ita, nil dicas, nil facias

Digitized by Google

alteri, quod tibi fieri nolles: contrà, quæ velles tibi fieri, tu, Dei causâ, et aliis facias.

Leges decori eo tempore.

1. SI honori tuo consultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non nôsti aut quâ aliâ de causâ, solum te esse atque ire, quàm cum malis, est optatius.

2. Cave ne immodicè ludo incalescas. Quod si contigerit, cave ne bibas donec æstus ille deferbuerit; nam omninò æstuantem bibere insalubre est et periculosum.

3. Ubi sedeas, ubi in genua procumbas, quò corpus applices, vide, ne aut pulvere, aut quâ aliâ immunditiâ locus sordidior, tibi etiam vestimenta commaculet.

4. Ne sis morosus et difficilis, sed comis et liberaliter officiosus, sermonem accipe et redde.

5. Ludum contentionibus aut inconditis clamoribus ne misce; neque rideas effusè, indecorè, aut sine causâ.

6. Si quando ullâ de re duo contendunt, neutri, nisi quid coget, accedito. Quod sentis, ne pertinaciter defende. Alieno potiùs sta judicio, iis præsertim de rebus, quæ sint ne, an non sint, haud magni interest.

7. Si quid narrare occœperit aliquis, non obtundas narranti id jam te scire. Multò minùs dici æquum est: *Non sic se res habet, falleris, ita habet ut dico, &c.*

8. Nec gravi nec probrosâ in re dictis ludi-

Digitized by Google

to. Ubi risui locus non est, cavillari et jocari velle, importunum est. Si cavillari placet, ne morde, ne lacera ut canis; sales sint ex re nati, venusti, acuti, nulli odiosi, aut acerbi. Facetiæ ne indignis ex rebus risum quærant.

9. Nulli vitia exprobres, ne naturæ quidem; nec voluptati duças verbis factisve quemquam pudore suffundere.

10. Neminem injuriosè compella, neque joco neque extra jocum; neminem verbis perstringe, neminem ludifica, hominum præsertim re aliquâ antecellentium, tametsi causa subsit.

11. Lacessitus verbo, vel injuriosè compellatus, ne respondeas, neque te defendas. Magis autem, quasi dictum joco, elude, aut tanquam ea te modicè tangant, ita te ostende.

12. De nullo mali quidpiam loquere, de nullius rebus ullâ ratione detrahe; si quem verò laudas, modum tene.

13. Præsertim vide castè loquaris ac verecundè; subturpicula ipsa, nec clàm alteri in aurem, nec liberiùs, quasi per jocum, effunde.

14. Coram aliis, ne quam ad corporis partem manum porrige, quæ exposita oculis esse non solet.

15. Quos alloqueris, salivâ ne compluas, vide. Id verò ne accidat, nulli te in os propiùs ingere, sed justo intervallo, (eum viris præsertim alicujus auctoritatis,) oculisque sub eorum vultum demissis, colloquere.

16. Inter verba etiam adverte, quàm com-

Digitized by Google

positè corpus moveas; quo in genere, ne caput leviter huc illuc move, sed rectum cum moderatâ in partem anteriorem inflexione tene. Ne manibus aut pedibus supra modum gesticulare, sed cum gravitate, et totius corporis rectâ compositione, firmus in vestigio consiste.

MODUS COLENDI VENERABILE SACRAMENTUM.

Sequentes preces, modò ex his aliqua, modò omnes, quocumque tempore ac loco, ubi aut expositum est venerabile Sacramentum, aut tabernaculo inclusum conservatur, tùm maximè in templorum visitationibus, usui esse possunt; diebus autem Jovis præcipuè.

Brevis salutatio Sanctissimi Sacramenti.

AVE, salus mundi, verbum Patris, hostia sacra, vera vita, viva caro, Deitas integra, verus homo, corpus Domini nostri Jesu Christi. Qui me formâsti de limo terræ, tu miserere mei peccatoris. *Amen.*

Alia.

AVE verum corpus natum de Maria Virgine,
Verè passum, immolatum in cruce pro homine;
Cujus latus perforatum fluxit undâ et sanguine;
Esto mihi prægustatum mortis in examine,
O dulcis, ô pie, ô Jesu, Fili Mariæ, miserere mei. *Amen.*

Digitized by Google

Præparatio ad laudandum et colendum venerabile Sacramentum.

AVE, clementissime Jesu, Fili Dei, et Mariæ Virginis, qui adeò dilexisti me, ut mori pro me volueris, teque in cibum, sacrificium, et præmium mihi dare; sis, cum Patre et Spiritu Sancto, ab omnibus et super omnia benedictus in æternum.

Doleo de omnibus peccatis meis, purè propter te his offensum, meque tibi in mortem et annihilationem mei resigno. Supple, pie Jesu, imperfectum nostrum pro quibus mori dignatus es, per merita Beatæ Virginis Mariæ et omnium Sanctorum, quæ tibi in unione tuorum sanctissimorum meritorum offero, æterno Patri repræsentanda. Pater, respice in faciem Christi tui, et gratiam nobis largire, ut te cum eodem dilecto Filio tuo et Spiritu Sancto agnoscamus, amemus, et laudemus, cum omnibus electis tuis, nunc et in æternum.

Adeste, ô vos sancti Patroni mei, tuque in primis ô beatissima Virgo Maria, Sancte N. Sancta N. &c. omnesque electi Dei, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Adoratio.

O DOMINE Jesu Christe, verus Deus et homo, ego te hîc verè præsentem supplex adoro et invoco, de vivæ carnis tuæ et sanguinis, corporisque et animæ veritate nihil omninò dubitans. Utinam verò eo te modo

Digitized by Google

contemplari et cognoscere, diligere, laudare, et glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, te perfectè cognoscunt, te diligunt, laudant, et glorificant, absque ullâ prorsùs in tuo obsequio molestiâ vel tædio. Omnes tibi meritò creaturæ laudes et gratiarum actiones concinunt; et quòd ardentissimo amore ad nos cœlo descendens, innocens ac nobile tuum corpus pro nobis in arâ crucis obtuleris; quòdque nobis hoc ipsum vivum ac immortale, in monumentum discessûs tui, in pignus erga nos summi amoris, tam amicè, benevolè, et affectuosè in Sacramentum reliqueris.

Tu igitur, ô Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, et dona nobis pacem; et animam nostram spirituali hoc cibo subindè refice, ut nimirum, nec in vitâ nec in morte, abs te et immensâ tuâ misericordiâ unquam separemur: qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Actus fidei, spei, charitatis, resignationis, &c.

O SAPIENTIA infinita quæ falli non potes, bonitas immensa quæ fallere non potes, prima et æterna Veritas, Deus meus, credo in te, et credo tibi in omnibus quæ revelâsti, et per Ecclesiam sponsam tuam mihi credenda proponis, et pro hâc sanctâ fide, per tuam gratiam, mori sum paratus.

Spero in te, ô æterna beatitudo nostra, teque per infinitam misericordiam tuam et pre-

Digitized by Google

tiosissima merita tua, veniam, gratiam, et gloriam cum omnibus necessariis mediis mihi promissam, daturum confido; et me totum à te pendere, et nihil sine te, omnia verò per te posse agnosco et profiteor.

Amo, et amabo te, et omnia quæ tu amas, propter te, ô fons infinite omnis boni, quia bonus es in te, et infinitè amabilis.

Gaudeo de infinitâ perfectione, beatitudine, et amabilitate tuâ; et de omni obsequio, laude, honore, et gloriâ tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam redditâ, reddendâ, ac possibili reddi.

Hæc omnia tibi intimè cupio, præbeo, et offero, cum omni affectu, obsequio, et vitâ meâ.

Te tuumque in omnibus beneplacitum brachiis dilectionis et resignationis arctissimè complector, omnique possibili reverentiæ, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor; ac complecti, venerari, et osculari cupio in æternum, licet me velles beatâ visione carere, modò gratiâ et amore tuo nunquam destituar.

Quidquid in me est affectûs erga creaturas, in te solum transferatur. Quidquid egero in omnem æternitatem, aut passus fuero, cedat ad gloriam tuam. Tuus sum ego: fac de me quidquid vis, nunc et in æternum.

Breviores actus virtutum.

CREDO in te, ô suprema Veritas.
Revereor te, immensa Majestas.

Digitized by Google

Adoro te, tremenda Potestas.
Benedico te, profusa Benignitas,
Spero in te, æterna Felicitas.
Amo te, incomprehensa Bonitas.
Glorifico te, sanctissima Deitas.
Doleo medullitùs, quod unquam offendi te!

Laus sanctissimi Sacramenti.

LAUDETUR sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terrâ pulveres; quot vere flores, æstate grana, autumno folia, hyeme nives et grandines; quot corporeæ in universo creaturæ; quia dignus es, *Domine universorum*, (2. *Mach.* 14.) qui sub corporeis panis et vini speciebus lates. *Verè tu es Deus absconditus*, *Is.* 45.

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari, unquam potuêre vel possunt; quia dignus es, *Tu Domine Pater noster*, (*Isaiæ* 63.) qui nos cibas et potas quotidiè, quo semel redempti sumus pretioso corpore, et *pretioso sanguine, quasi Agni immaculati.* 1 *Pet.* 1.

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes angeli, quot Sanctissima Trinitas suâ potentiâ depromere, suâ sapientiâ concipere, suâ bonitate optare potest; omni modo, omni loco, omni tempore, in æternum, et ultrà; quia dignus es, *Tu Domine Deus meus*, (*Isaiæ* 15.) qui mihi donas non tantùm

Digitized by Google

humanitatem, verùm etiam divinitatem tuam. *Dominus meus, et Deus meus.* Joan. 20. Verè *laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.* Daniel. 3.

Pia desideria.

O DULCISSIMA virgo Maria, mater Dei, da mihi Jesum Christum dilectissimum Filium tuum. Intercede apud eum pro me, Virgo sanctissima, ut me suscipere dignetur.

O dulcis Jesu, visne me in filium tuum suscipere, teque mihi vicissim reddere? O Jesu, præter te nihil aliud desidero.

Pro tui amore, Jesu, amor meus, omnibus hujus mundi pompis ac vanitatibus, mihi quoque ipsi in animâ et corpore, abrenuntio, et te solum in me meque in te vivere cupio.

Te, Jesu, in dominum meum, in patrem, in sponsum, in fratrem, in amicum eligo.

O benignissime Domine, adjuva et defende me, servum et mancipium tuum, contra visibilium et invisibilium inimicorum meorum impetus.

O amantissime pater, auxiliare mihi indignissimo filio tuo, in omnibus actionibus meis.

O venustissime sponse, animam meam, sponsam tuam, virtutum margaritis et pretioso charitatis vestimento exorna.

O charissime frater, recordare, obsecro, inopiæ meæ; meque divitiarum tuarum participem effice.

O fidelissime amice, succurre mihi, obse-

Digitized by Google

cro, in omnibus necessitatibus et angustiis meis.

O Jesu, totus, corpore et animâ, tuus esse cupio.

Jesu, quando talis ero, ut nihil in me reperiatur nisi Jesus? Quando dicere potero: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus?* Gal. 2.

Jubila, anima mea, et dic: *Vivat Jesus.* Exulta, anima mea, et dic: *Sit benedictus Jesus.*

Lauda, anima mea, Jesum. Invita, anima mea, creaturas omnes ad prædicandum et laudandum sponsum tuum Jesum.

O anima mea, nihil tibi vivat, nisi solus Jesus.

O Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu amor, Jesu omne bonum meum! moriar ego, et vivat Jesus.

Communio spiritualis.

Non incongrua huic loco esset Communio spiritualis, *cujus praxim vide pag.* 39.

Rythmus Sancti Thomæ Aquinatis, qui etiam per modum communicationis spiritualis usurpari potest.

ADORO te devotè, latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas.
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Digitized by Google

Visus, tactus, gustus in te fallitur;
Sed auditui solo tutò creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas;
At hîc simul latet et humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine;
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud quod tam sitio;
Ut te revelatâ cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. *Amen.*

Oblatio sui.

O BENIGNISSIME et dulcissime Domine Jesu Christe, Salvator mundi, ego, licet peccator indignus, tuo tamen pretioso sanguine redemptus, ad te Deum et Salvatorem

Digitized by Google

meum humili mente et intimo cordis affectu confugio.

Et quia tu te totum, pro me misero peccatore redimendo, in arâ crucis Deo Patri in redemptionis pretium obtulisti; ego quoque, ô amantissime Jesu, offero tibi meipsum totum, quidquid sum, quidquid ero, cum omnibus quæ habeo et habiturus sum.

Suscipe, quæso, Domine, in manus ineffabilis misericordiæ tuæ animam pariter et corpus meum, sensus, sermones meos; et per omnia ita me dirigere ac gubernare digneris, ut omnes peccandi occasiones semper effugiam, ne unquam in laqueum maligni spiritûs incidam; sed tibi, Deo ac Redemptori meo, tuisque mandatis indesinenter inhæream, adeò ut me à te nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ sors unquam separet.

Rogo te, ô amantissime Jesu, per illum amorem qui te salutis nostræ causâ è sinu summi Patris in Virginis uterum traxit, supple imperfectionem actionum mearum, quæ ex parte meâ exigui sunt valoris et meriti, nisi de tuâ plenitudine supplementum defectûs acceperunt.

Conjunge, obsecro, indignissimum obsequium meum cum omnibus quæ egisti et passus es ex perfectissimâ illâ et ineffabili charitate et obedientiâ, et cum divitiis satisfactionum et meritorum dilectionis tuæ, Patri æterno illud offerre digneris; ut de tuâ abundantiâ meæ ditetur inopia, et quam ex meipso nullatenus mereor, te mediante, gratiam obtineam.

Digitized by Google

Petitio.

O CLEMENTISSIME Jesu, à quo manant usquè ad nos omnia bona, à quo coërcentur usque à nobis omnia mala, da mihi petitionem meam, quam postulare docuisti. Adveniat in me regnum tuum, et fugiat à me regnum diaboli. Averte à me omnem vanitatem, mentis inconstantiam, carnis libidinem, oris scurrilitatem, scelera, detractionem, inanis gloriæ appetitum, contemptum inopum, avaritiæ ardorem. Reseca in me, ô piissime Jesu, temeritatem iniquam, pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, cordis superbiam, mentis cæcitatem, sensûs obstinationem, linguæ effrænationem, proximorum injuriam, et quidquid demùm divinæ Majestati tuæ displicet; ut occurram tibi Deo meo in veritate et corde perfecto, ut laudem te et glorificem in sæcula.

Vide alias petitiones infrà in Sylvâ Orationum.

Commendatio sui.

O BONE Jesu, sim ego totus tuus, et tu meus in æternum. In te vivam, in te moriar, in te perennem, misericordias tuas decantans, et cum Cherubim et Seraphim incessabili voce tibi proclamans: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* O Jesu, Deus cordis mei infinitè amabilis, totus desiderabilis, esto mihi benignus, nunc et in horâ mortis meæ. Intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari à te. Te fruar, atque utinam omnes mecum! Te fruar

Digitized by Google

in vitâ, solatio; in morte, viatico; post mortem, præmio; per lacrymas, sudorem, et sanguinem tuum. *Amen.*

Si velis alios commendare et pro aliis orare; vide suprà, pag. 115. *et sequentibus.*

Petitio benedictionis in recessu.

DIGNARE, Domine Jesu, cum Patre et Sancto Spiritu, impertiri mihi tuam sanctam benedictionem, uberemque gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et in horâ mortis, tuam sanctissimam voluntatem, teque brachiis dilectionis arctissimè in æternum constringendi, atque ita vivendi, ut te pane angelorum, cum perfectâ fide, spe, charitate, contritione, et resignatione, nunc et sub finem vitæ, dignè frui merear, et omnes mecum; per lacrymas, sudorem, et sanguinem tuum, per merita tua, Beatæ Mariæ Virginis matris tuæ, et omnium Sanctorum. *Amen.*

O Jesu, ego hinc migro, et spiritum meum tibi relinquo.

O beatissima Virgo Maria, commenda me dilectissimo Filio tuo Jesu.

MODUS COLENDI PASSIONEM JESU CHRISTI.

QUOTIDIANA lectio boni Christiani, ait *Bernardus*, debet esse recordatio Dominicæ passionis. Nihil arbitratus sum me scire

Digitized by Google

inter vos, ait *Paulus*, 1 *Cor.* 2, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Sed et ipse Dominus Jesus, amicis suis quibusdam indicavit, nullum obsequium sibi esse, aut esse posse gratius, quàm quod in passione suâ meditandâ sibi deferretur. Quocircà magna cura debet esse piis, ut tam gratæ Christo occupationi deserviant, saltem diebus Veneris, et per totam Quadragesimam.

Exercitium Primum.

Quis patitur? Pro quo? Quare? Quid?

1. *QUIS patitur?* 1. Dignitate Deus, qui majestate cœlum replet et terram. 2. Homo nobilis, ex stirpe regiâ *Davidis*, de Spiritu Sancto conceptus in Virginis utero. 3. Si intellectum spectes, doctissimus; si voluntatem, sanctissimus, atque integerrimus; qui nullo unquam errore aut peccato, vel Deum offendit, vel hominem læsit. 4. Si conversationem attendis, gravissimus; nunquam ridere visus, lacrymari sæpiùs; et hoc quidem dùm deflet peccata nostra. 5. Si formam, totiusque corporis dignitatem, speciosus est formâ præ filiis hominum; constitutione tenerrimus. Tantus tamen, et tam admirabilis, ô homo, patitur.

2. *Pro quo patitur?* Non pro divinissimis illis spiritibus Cherubinis ac Seraphinis, sed pro hominibus, pro luto et cinere, pro peccatoribus ingratissimis, pro te speciatim, vilissi-

Digitized by Google

mo homuncione, æternis ignibus digno, &c. Et non commoveris?

3. *Quare patitur?* Nulla illi patiendi pro se necessitas. Non quia aliquid cognovit in nobis bonum, aut dignum, pro quo pateretur; non quòd habeat nobis opus; non quòd accedat illi quidpiam, aut detrahatur, sive salutem consequamur, sive damnationem incurramus. Patitur ergo ex solo amore, pietate, et misericordiâ; ultrò, spontè, alacriter. O bone Jesu, quid hoc esse dicam? Mori nos debuimus, et tu vitâ privaris? Nos peccavimus, et tu pœnam luis? Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo!

4. *Quid patitur?* Nihil in ipso dolore vacat. Corpus, corporisque omnes sensus; anima item, ejusque omnes potentiæ; deniquè quidquid in Christo fuit, suas (ah, nobis nimium debitas!) pœnas sustinuit. Pœnæ quoque fuerunt acerbissimæ, tùm ex corporis tenerrimâ constitutione, tùm quòd nullo interno solatio, ad ferendum suaviùs, sublevaretur. Et tu, Christiane, sub spinoso capite nimis delicate miles, nihil pati vis, aut potes?

Exercitium Secundum.

Genera pœnarum quæ in passione Christi concurrerunt.

PRIMUM est: amara illa separatio Matris ac Filii, cùm Dominus, iturus ad mortem, amantissimæ Matri valedixit. Quàm enim acerbum fuit Matri, et tali Matri, tam duro di-

Digitized by Google

vortio valedicere Filio eunti ad mortem, et talem mortem!

2. Dolor ingens, quem hausit ex Judæ proditoris nefando scelere et interitu; ex Petri, amantissimi discipuli, negatione; ex discipulorum cæterorum fugâ et infidelitate; quos omnes tenerrimè diligebat, et paulò antè dulci sermone, et cibo corporis et sanguinis sui, refecerat. Quàm grave erat vendi ac prodi tantum principem et doctorem vilissimo pretio, à proprio discipulo, atrocissimis inimicis! à discipulis deseri! à primario negari!

3. Mœstitia illa ingens, anxietas, et agonia in horto; quando, ex nimio pavore, factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

4. Ignominia ac infamia, quam accepit Dominus Jesus, dum totiès ab uno loco in alterum; ab Annâ, ad Caïpham; ab illo, ad Pilatum; ab eo, ad Herodem; et iterùm ab Herode, ad Pilatum; manibus vinctis, satellitibus stipatus atrocibus, per publicas plateas, tanquam sicarius quidam ac latro, duceretur et veriùs raptaretur.

5. Contumeliæ ingentes et multiplices, quas sustinuit, cùm nunc alapis cæderetur, nunc conspueretur, arundine percuteretur, velarentur oculi, albâ veste, sordidâ purpurâ indueretur, Barabbæ, infami latroni, postponeretur, minùs eo vitâ dignus censeretur, et id genus contumeliarum, conviciorum, irrisionum pateretur.

Digitized by Google

6. Flagellatio ad columnam; quæ non tantùm immanissima fuit, sed etiam ignominiosissima.

7. Coronatio, in quâ acerbissimus et inexplicabilis dolor et cruciatus cum intolerabili ignominiâ concurrebant. O quid erat videre Regem cœli et terræ tractari omni belluâ immaniùs, carnem illam virgineam dirissimis flagellis laniari et discerpi, pretiosum illud caput sentibus aperiri et lacerari!

8. Egressio illa, cum purpureo indumento et coronâ, ad conspectum furentis populi, clamantis: *Crucifige, crucifige.* Stabat bonus Jesus deformis, et leproso similis, clamante Pilato: *Ecce homo.* Et quis ille homo, et quantus, et qualis jam? quæ hominis in eo species?

9. Gestatio propriæ crucis, ac deductio per publicas civitatis magnæ plateas, inter nefarios latrones et satellites; inter spectantium dicteria, sannas, ludibria, &c.

10. Crucifixio, genus mortis crudele, prolixum, et turpe, in quo tormenta omnia renovata; inexplicabilis manuum, pedum, nervorum, venarum concussio, ac tormentum ingens totius corporis.

11. Matris dilectissimæ ac amati discipuli perpetuus aspectus. Non ignorabat bonus Jesus admirabiles cruces et tormenta, quibus amantissimæ Matris suæ cor sauciabatur.

12. Amara separatio corporis et animæ; inter quæ summus semper amor fuerat, nulla pugna. Moritur ergo angelorum Rex et Do-

Digitized by Google

minus, in flore ætatis, vivis et integris sensibus; moritur amor noster indebitâ morte, cum summâ angustiâ, totus afflictus, totus lacer, anxius, sitibundus, fatigatus.

Exercitium Tertium.

Virtutum consideratio, quæ in passione elucent.

1. *HUMILITAS* admirabilis, quâ se exinanivit, et ab omnibus contemni ac despici passus est; ne nos extollamur animo, sed illius amore contemni quoque ac despici libenter velimus.

2. *Obedientia*, in re difficillimâ, ad mortem usque, et quidem crucis; ut nos etiam obediamus præpositis nostris, in iis rebus maximè, ubi sensualitas nostra repugnat.

3. *Patientia*, tot genera sibi succedentium cruciatuum; ut nos discamus convicia et injurias deglutire ac oblivisci, nec verbis, nec minis, nec voluntate, nec signis ulcisci.

4. *Constantia*, sive perseverantia, quâ neque flagellis, neque spinarum aculeis, neque clavis, neque cruce, à cursu procurandæ salutis nostræ divelli potuit. Itidem et nobis faciendum.

5. *Mansuetudo*, instar oviculæ innocentis, ut discamus et nos tacere, obmutescere, ad vitandas contentiones et jurgia.

6. *Charitas*, quâ sitivit salutem nostram, quâ pro crucifixoribus oravit, quâ dolorum suorum oblitus, cogitationem atque curam su-

Digitized by Google

am convertit ad luctandam animam alterius latronum; at discamus et nos animarum salutem in omni loco quærere ac sitire.

7. *Contemptus mundi*, nam pendens in cruce Rex noster, non alium thronum habuit quàm patibulum, non aliam coronam quàm spineam, non alias epulas quàm fel et acetum, non alios comites quàm duos suspensos fures, non alios consolatores quàm amarulentos illos *Judæorum* pontifices, turbamque omnigenam maledictis et opprobriis ipsum incessentium. Et nobis igitur mundus iste vilescat, et omnis gloria ac voluptas illius.

Hæc autem puncta, non simul omnia, sed nunc unum, nunc alterum, sive secundi, *sive etiam* primi exercitii, *expendi debent. Aperient pauca hæc aditum ad majora, et vehementer accendere poterunt voluntatem et affectum, si debitâ præparatione et diligentiâ examinentur, præmissâ præparatoriâ oratione, affixâque imaginatione nostrâ in Christum patientem, vel in ea loca, in quibus passus est.*

Exercitium Quartum.

Affectus, qui elici possunt ex consideratione passionis.

ACTUS *fidei.* Credo ac firmissimè teneo, omnium conditorem Deum, Deum ipsum majestatis, propter nos homines, et propter nostram salutem, adeò seipsum exinanivisse, ut flagellari, coronari spinis, &c. instar latronis, infami patibulo affigi sit dignatus.

Digitized by Google

Actus admirationis. Fierine potuit, ut pro tam ingratis et impiis capitibus, quæ tantam Dei charitatem aut non agnoscant aut etiam contemnant, tanta Majestas eò se demittere voluerit? O abyssus charitatis!

Actus spei. Verùm cùm charitas tua infinita eò etiam meâ causâ adduci potuerit, quid est, Domine Deus meus, quod ab immensâ illâ tuâ charitate meritò sperare non possum? Qui tradidisti temetipsum pro me, quomodò non tecum mihi omnia donâsti?

Actus gratiarum actionis. Quid interim rependam, Domine, immensæ charitati tuæ? Si meipsum tibi milliès dedero, quid dabo, quod non sit, titulis etiam infinitis, tuum? Sed et quas gratias agam? *Dignus es*, Domine, *accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, honorem, et gloriam, et benedictionem.* Apocal. 5.

Actus amoris. Utinam, Domine, utinam tanto tuo in me amori, aliquid saltem amoris dignè possem rependere! Certè, si mihi tot forent corda, quot habent omnes homines; imò si tot forent, quot sunt in cœlo stellæ, in aëre atomi, in mari guttæ; ex illis, et omnibus, et totis vellem te amare.

Actus contritionis. Sed heu! Domine, quam hactenùs infinitis tuis amoribus malè respondi! Heu! cur te totiès offendi, Deum ac Redemptorem meum? Ah! Domine, ex toto corde doleo, ideòque solùm, quia tu es omni amore dignissimus! O si te nunquam offendissem!

Digitized by Google

Actus zeli animarum. Heu! quot etiam hâc horâ offendunt te, Domine, quot tantis tuis laboribus sibi partam salutem negligunt? Nunquid non etiam eos in tuis manibus descripsisti? Lege igitur scripturam tuam, Domine, et eos salva propter misericordiam tuam, Deus salvator meus.

Actus compassionis. Sed cum te contemplor, bone Jesu, quàm acerba est tua in cruce paupertas, quàm amarus contemptus, quàm atrox dolor.

Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Actus imitationis. Verùm videbóne te in cruce nudum, et deinceps ego quæram divitias? Videbo contemptum, et ego ambiam magni fieri? Videbo confectum doloribus, et ego carnis commoda sectabor? *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Ad Gal. 6. *Pudeat sub spinoso capite membrum esse delicatum.* Bern. *Domine Jesu, nolo vivere sine vulnere, cùm videam te vulneratum.* Bonaventura.

Exercitium Quintum.

Confœderatio Jesu crucifixi.

ILLIUS tres sunt conditiones. Prima, ut qui confœderationis participem se esse velit, quotidiè, semiquadrantuli circiter spatio, bre-

Digitized by Google

vem aliquam de Christi patientis doloribus considerationem usurpet.

Secunda, ut sub ipsius considerationis finem, brevi aliquâ precatiunculâ Christum enixè roget, ut confœderatorum omnium nomina in manibus suis descripta legere, eosque in sacris suis vulneribus æternùm velit habere collocatos.

Tertia, ut quos commodè potest, ad ejusdem pacti societatem vocare conetur.

Oratio pacti, quam confœderati Jesu crucifixo Sodales quotidiè pro se invicem recitare solent.

MANUS tuæ, Domine, fecerunt nos, manus (inquàm) illæ, quæ affixæ clavis sunt pro nobis. Opera manuum tuarum ne despicias; vulnera manuum tuarum, precor, ut inspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti nos, Domine Jesu; lege ipsam scripturam, et salva nos. O bone Jesu, exaudi nos; intra vulnera tua absconde nos; ne permittas nos unquàm à te separari; in horâ mortis voca nos, ut cum Sanctis tuis misericordias tuas in æternum cantare possimus. *Amen.*

Horologium Passionis Christi.

Vesper.

SEXTA pedum sordes Christum est niirata lavantem;
O animi sordes ablue, Christe, mei!

Digitized by Google

Septimâ vivifici dat mystica fercula panis;
Mystica sæpè meam pascite fercla famem.
Octava ardenti miscet prece sanguinis imbres;
In precibus glacies quàm riget alta meis!
Nona capit, vinctumque Annæ conspectibus offert;
Quis mihi det Domini vincula ferre mei?

Nox.

Nocte Deum totâ carcer milesque fatigant;
Christe, labor pro te sit mihi grata quies.

Mane.

Quarta Deum pugnis, sputisque, probrisque lacessit;
Christe, probrum pro te sit mihi solus honor.
Quintâ, pontificum damnatur vocibus insons;
Ne lex humanum sit mihi judicium.
Subjicit immeritum censuræ *sexta* Pilati;
Me censura hominum si notet, anne querar?
Septimâ, Idumæo stulta est sapientia regi;
Sic mundo stultus, qui tibi, Christe, sapit.
Octavâ, Jesum postponit turba *Barabbæ*;
Parce, Deus; turbæ pars ego magna fui.
Nonâ flagris corpus, caput hirto sente, cruentat;
Hoc duce, miles iners, vulnera nulla geram?
Damnat ad immitem *decimâ* inclementia mortem;
Ah! fuit hæc noxis debita pœna meis.

Digitized by Google

Bajulat, *undecimâ*, quod mox subit hostia, lignum;
In cruce grata tibi victima, Christe, cadam.

Meridies.

Hostibus et dextro parcet *bis sexta* latroni;
Discedant animo livor et ira meo.
Prima pio Matri Joannem fœdere nectit;
Fœdere in hoc utinam me quoque scribat amor!
Hora *secunda* Deum sitientem potat aceto;
Vah, gula, quæ misces talia pocla Deo!
Auctorem vitæ morientem *tertia* luget;
Heu me, dum video te, mea vita, mori!
Quarta salutifero cor Jesu vulnere pandit;
Mens, requiesce isto cordis in hospitio.
Victorem mortis componit *quinta* sepulchro;
O specus, ô animæ chara latebra meæ!

Oratio ad Jesum pro percipiendo fructu passionis.

OBSECRO te, Domine Jesu Christe, ut passio tua sit virtus mea, quâ muniar, protegar, et defendar.

Vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus inebrier et delecter. Aspersio sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis et animæ nunc et in perpetuum. *Amen.*

Digitized by Google

APPENDIX DE SEPTEM DOLORIBUS *Beatæ Virginis Mariæ.*

Dolor primus.

AVE, dulcis Mater Christi,
Quæ dolebas corde tristi,
Te docente *Simeone*,
Sævientis de mucrone.

Consors hujus sim doloris,
O abyssus amaroris!
Fac me, piè memorati
Nati pœnas sensu pati.

Dolor secundus.

AVE, dulcis Mater Christi,
In Ægyptum quæ fugisti;
Ubi summa perferebas,
Ac labore fatiscebas.

Illos precor per angores,
Nati precor per dolores,
Molem ferre da malorum,
Dum hîc exul sum cœlorum.

Dolor tertius.

AVE, dulcis Mater Christi,
Plena luctu quæ fuisti,
Quærens tuam, virgo, prolem,
Quærens tuum, luna, solem.

Me tam diu jam errantem,
Polo longè divagantem,

Digitized by Google

Eia velis invenire,
Et ab hoste custodire.

Dolor quartus.

AVE, dulcis Mater Christi,
Lacrymosa quæ vidisti
Captum, vinctum, flagris cæsum,
Plenum plagis, dulcem Jesum.

Per hos rivos lacrymarum,
Mihi mundum fac amarum;
Christi plagas apprehendam,
In tantillo ne offendam.

Dolor quintus.

AVE, dulcis Mater Christi,
Juxta crucem quæ stetisti,
In quâ dirè laniatus,
Pro me mori est dignatus.

Per dolorem hunc tam fortem,
Et per nati tui mortem,
Horâ mihi destinatâ,
Mater adsis advocata.

Dolor sextus.

AVE, dulcis Mater Christi,
Quæ in ulnas suscepisti,
In salutem mundo datum,
Ligno crucis funeratum.

Ad tribunal me trementem,
Ac inferna jam videntem,

Digitized by Google

Vultu tuo consolare,
Piis ulnis amplexare.

Dolor septimus.

AVE, dulcis Mater Christi,
Planctu summo quæ luxisti
Tumulatum, monumento
Jesum linquens, à tormento.

O cui planctu cor exhaustum!
O doloris holocaustum!
Da cum Jesu te lætantem,
Da videre conregnantem. *Amen.*

MODUS COLENDI BEATAM VIRGINEM MARIAM.

Sententiæ Sanctorum Patrum de cultu Beatæ Virginis Mariæ.

TOTIS medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. *S. Bern.*

Sicut, ô Beatissima, omnis à te aversus et despectus, necesse est ut intereat; ita omnis ad te conversus, et à te respectus, impossibile est ut pereat. *S. Bonaventura.*

Sicut, ô Maria, ubicumque fuerit corpus, congregantur et aquilæ, ita ubicumque fuerit miseria, tua et currit et succurrit misericordia;

Digitized by Google

adeò pietate replentur ubera tua, ut tacta alicujus miseri notitiâ, lac fundant misericordiæ, nec potes miserias scire, et non subvenire. *Richardus à S. Victore.*

Omnia dona, virtutes, et gratiæ ipsius Spiritûs Sancti, quibus vult, quomodo vult, et quando vult, per manus Mariæ administrantur. *S. Bernardinus.*

Advocatum vis habere ad Christum? Ad Mariam recurre. Exaudiet certè Matrem Filius.

Cæterùm, quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Hæc peccatorum scala, &c.

Sileat misericordiam tuam, Virgo Beata, qui te suis in necessitatibus invocatam, sibi unquam meminerit defuisse.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras ejus conversationis exemplum. *S. Bernardus.*

Quibus officiis contineatur cultus Beatæ Virginis Mariæ.

CUM beatissima Virgo, Dei Mater, Ecclesiæ totius sit patrona præcipua, quam proindè præcipuâ veneratione cultuque prosequi debent pii omnes; dicendum paucis initio videtur, quibus officiis cultus hic et veneratio definiatur, ut quâ ratione quibusque modis co-

Digitized by Google

lenda sit, omnes intelligant. Undecim officiis cultus hic Deiparæ generaliter continetur.

1. Est honor internus et externus. *Internus* in actu eo reverentiæ voluntatis nostræ consistit, quo, cum debitâ submissione subjectionisque recognitione, de ipsius dignitate et excellentiâ convenienter sentimus :—esse nimirum illam majori perfectioriqne dignitate et excellentiâ prædităm, quàm quævis alia creatura sit, ut propterea singulari animi submissione, ac summæ subjectionis recognitione, eam creaturæ omnes admirari, et suspicere, et complecti debeant. *Externus* verò Beatæ Virginis honor ex hoc interiori proficiscitur; ut nimirùm exteriùs verbo, vel quocumque officio, testificemur et protestemur illius, quam interiùs et mente cognoscimus, majestatem, dignitatem, excellentiam. Atque honor Beatæ Virgini debitus *hyperdulia* vocatur. Ex hoc primo fonte Christiani officii in Beatam Virginem, factum est, ut Sancti Patres tam honorificis, tam excellentibus titulis ac nominibus eam appellaverint, ut patet in Litaniis, quæ in illius honorem instituuntur, ad eam debitis præconiis et laudibus honestandam.

2. Colimus deindè Beatam Virginem salutatione eâ, quæ verbis Angeli et *Elizabethæ*, pro veteri Catholicæ Ecclesiæ instituto et consuētudine, continetur; quam quidem salutationem aliquotiès subindè iteramus, ut sæpiùs memoriam Redemptoris nostri, perdito mundo tam lætè annuntiati, refricemus, officium-

Digitized by Google

que, quod tantæ Matri à nobis jure debetur, declaremus. Hinc Rosarium ejusque recitandi ritus emanavit.

3. Salutationi Angelicæ provida mater Ecclesia conclusionem eam adjecit, quæ apertam continet precationem; ut doceat Beatam Virginem à nobis invocandam, opem illius et suffragia nobis suppliciter imploranda, cùm potissimùm nihil tanta Mater petat à Filio quod non impetret, cùm nihil petere possit, quod et illi gratissimum, et iis quibus postulat salutare, esse non sciat.

4. Colimus deindè Beatam Virginem feriis illi sacris, scilicet *Conceptionis*, *Nativitatis*, *Præsentationis*, *Annuntiationis*, *Visitationis*, *Purificationis*, *et Assumptionis*; diebus item Sabbati, ex consuetudine Ecclesiæ et usu piorum.

5. Altaribus, Deo primùm erectis in honorem et memoriam Parentis sibi charissimæ, ipsam colimus et honoramus.

6. Sacrificiis quoque. Etsi enim sacrificium nullum Beatæ Virgini immolemus, cùm soli Deo debeatur; pro ejus tamen Beatæ Parentis gloriâ, et in ejus honorem, nova, verè munda, corporis Christi et sanguinis oblatio, à totâ Ecclesiâ in universo mundo offertur. Unde pii homines Sacra et Missas de Beatâ Virgine à Sacerdotibus celebrari curant; non quòd sacrificium offerri velint Virgini, sed quòd offerri velint Deo in gratiarum actionem pro gloriâ collatâ Beatæ Virgini, et

Digitized by Google

ut simul eam interpellent tanquam patronam, et advocatam, et mediatricem suam apud Deum.

7. Ad hæc, votis illi nuncupatis honorem tribuimus, non tantùm quatenùs Deo vovemus, ex Parentis ejus Mariæ amore ac reverentiâ, illam quasi testem obligationis, quâ nos Deo obstringimus, appellantes, ac illius gloriosâ et potenti intercessione statuentes et sperantes factam promissionem exequi, votumque dissolvere; sed etiam ipsum votum et promissionem in ipsam terminantes, promittentes nimirùm illi aliquid, acta non *latriæ*, sed *hyperduliæ*, ad ejus opem, tanquam patronæ advocatæque nostræ apud Deum, implorandam, vel in signum gratitudinis, quòd per eam insigne aliquod beneficium ab ipsius Filio Deo acceperimus.

8. Insuper, et imaginibus cujuscunque generis, seu sculptis, seu pictis, seu in compitis et triviis, sive alibi positis, pro instituto et more, Beatam Virginem colimus.

9. Succedunt his, peregrinationes ad loca illa sacra, et miraculis celebria, quibus mirificè et admirabili sæpè fructu à Catholicis Beata Virgo colitur. Observatione autem et admiratione dignum est, nullam propè in Christiano orbe esse provinciam, in quâ vel templa vel loca non sint mirandis effectibus et miraculis illustria, ad quæ proficiscentes Christi fideles, opportuno tempore, misericordem Dominum, per benedictæ Matris merita, ad casus et pericula, cùm corporis tùm animæ, pro-

Digitized by Google

pulsanda non exorent. Obeundæ autem sunt ejuscemodi peregrinationes fide integrâ, spe magnâ, charitate fervidâ, intentione purissimâ, spectato animæ fructu potiùs quàm corporis.

10. Denique Sodalitiis colitur Beata Virgo, quæ sub augustissimo ipsius nomine instituta, divini cultûs, laudis Virgineæ, salutisque propriæ amore ac desiderio, ab iis, qui illius veri esse cultores desiderant, piè sanctèque frequentantur.

Cæterùm præcipuus et potissimus Beatæ Virginis cultus in virtutum ejus imitatione consistit. *Talis fuit Maria,* ait B. Ambrosius, *ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Quicumque ergò sibi Mariæ optat præmium,* (dico ego et beneficium,) *Mariæ imitetur exemplum.* Quocircà, ut ejus virtutes ac integerrimæ vitæ exemplum exprimere in nobis, vel adumbrare saltem aliquo modo, possimus, lubet hîc brevem catalogum virtutum ejus omnium præcipuarum subnectere, ex quo amplissima ad eam imitandam materies eruatur.

Brevis et succinctus amplissimarum Beatæ Virginis virtutum Catalogus, ex B. Ambrosio decerptus.

SIT vobis, tanquam in imagine, descripta virginitas vitaque Beatæ Mariæ, de quâ, velut speculo, refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi, tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effu-

Digitized by Google

gere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit?

1. *Puritas Mariæ Virginis.* Virgo erat, non solùm corpore, sed etiam mente; quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.

2. *Humilitas et prudentia.* Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere.

3. *Lenitas et mansuetudo.* Non lædere reos, benè velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

4. *Modestia in conversatione.* Quando ista vultu læsit parentes? Quando dissensit à propinquis? Quando fastidivit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitavit inopem? Eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia.

5. *Modestia in verbis, gestu, incessu, actu.* Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.

6. *Sobrietas, et precationis assiduitas.* Quid

Digitized by Google

exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? Alterum ultra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse; illîc nulla intermissa tempora, hîc congeminatos jejunio dies; et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.

7. *Somni parcitas.* Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit; et tamen cùm quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, gerenda prænunciat.

8. *Modestia foras prodeundo.* Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm seipsâ; quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat Virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem.

9. *Studium profectûs.* Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur; sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? Ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint; quæ digna fuit ex quâ Dei Filius nasceretur.

Digitized by Google

10. *Quies et solitudo non otiosa.* Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat; quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetæ? Deniquè et Gabriel eam, ubi revisere solebat, invenit; et Angelum Maria quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum, audito nomine, recognovit.

11. *Pietas ejus, et charitas in alios.* Quàm verò religiosa in propinquos fuerit, Scriptura divina significat; nam et humilior facta est, ubi se à Deo agnovit electam, et statim ad cognatam suam in montana processit, (non utique ut exemplo crederet, quæ jam crediderat oraculo,) et tribus cum eâ mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis, non fides quæritur, sed pietas exhibetur.

12. *Studium ejus in præceptis Dei cognoscendis.* Quamvis esset Mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat; et quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

13. *Pudor et verecundia ejus in omnibus.*— Quid quòd annis quoque omnibus ibat in *Jerusalem*, solemni die Paschæ, et ibat cum *Joseph*. Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas.

Digitized by Google

Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Talis denique fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, ut quicumque ejus optat præmium, imitetur exemplum. *Hactenùs B. Ambrosius.*

Ratio brevis et efficax commendandi se Beatæ Virgini à Sodalibus crebrò usurpanda.

FACTO signo crucis, ac mente corporeque ad orationem composito, imaginare tibi Beatam Mariam coràm adesse, ac omninò paratissimam ad indigentiam et paupertatem tuam sublevandam, si modò te illi gratum præstiteris, ac eam fervidè, quidquid oportuerit, rogaveris.

Gratias itaque illi age de cunctis beneficiis, quæ illa tibi à Christo impetravit, præcipuè verò de iis quæ peculiariter intelligis te ipsius intercessione obtinuisse; qualia sunt, remissio noxarum quibus Deum offendisti, præservatio à multis peccatis, multæ inspirationes sanctæ, major fervor et devotio, major affectus erga res sacras, studium virtutum, humilitatis cumprimis, castitatis, mansuetudinis, charitatis, sobrietatis, ardentius desiderium promovendæ tuæ salutis et aliorum, præclarius ingenium, memoria felicior, intellectus acutior, diligentia major in studiis, et ejusmodi, quæ à nomine ejus Congregationi dato, aucta esse in te vides et sentis.

Digitized by Google

Totum illi te trade atque offer, orans ut tui tutelam patrociniumque suscipere, teque suo præsidio munitum, ab omni tum animæ tum corporis periculo tueri dignetur.

Aliqua beneficia pro te cæterisque proximis tuis pete, vel certè, ut jam collata conserventur et augeantur, roga; præsertim ut tibi à suo Filio profundam humilitatem, purissimam castitatem, et in recto virtutis itinere profectum ac perseverantiam impetret; prætereà ut nonnihil doloris illius tibi impertiat, quem ex Filii cruciatibus cepit; præparationis etiam atque arboris scintillam, quo sacram Eucharistiam post ascensionem Domini nostri sumebat; deniquè augmentum devotionis et affectûs erga eamdem sanctissimam Virginem. Hæc autem beneficia, per septem ejus gaudia doloresque totidem, petes, quibus est affecta, dùm viveret.

Praxis petendi varias virtutes à Beatâ Virgine.

SALUTO te humillimè, laudo, et glorifico, ô Sancta Maria, Domina mea clementissima, purissima, sanctissima, felicissima, Regina angelorum potentissima, patriarcharum, prophetarum, et apostolorum gloriosissima, martyrum fortissima, confessorum sapientissima et fidelissima, virginum, viduarum, et omnium sanctorum mundissima, Dei mater verissima. Tu nôsti miserias meas, infirmitatem et vulnera, paupertatem et nuditatem. Ecce gemitus meus, et languor desiderii mei coram te est; respice in me, et miserere mei. *Sicut ubicunque*

Digitized by Google

fuerit corpus, congregantur et aquilæ, (Richardus à Sancto Victore,) *ita ubicunque fuerit miseria, tua et currit et succurrit misericordia; adeò pietate replentur ubera tua, ut tacta alicujus miseriæ notitiâ, lac fundant misericordiæ, nec potes miserias scire, et non subvenire.* Ecce pedibus tuis advolutus, ô asylum miserorum, ô mediatrix inter Deum et homines, humiliter te rogo, et obtestor maternum pectus tuum, per eum amorem, quo Jesum Filium tuum diligis, per eam charitatem, quâ nos in servos, clientes, et indignissimos filios tuos ascivisti, impetra mihi plenam remissionem peccatorum meorum, verissimam eorum detestationem, et dignos in hâc vitâ pœnitentiæ fructus; generosam item mortificationem sensuum et affectionum mearum, et plenissimam tentationum victoriam. Exora mihi augmentum fidei, certam spem, perfectam charitatem, integram in voluntate Dei resignationem, puritatem intentionis, affectum devotionis erga Jesum crucifixum, venerabile Sacramentum, et ergâ te Dominam et Matrem meam. Impetra mihi obedientiam erga superiores, affabilitatem et mansuetudinem erga omnes, profundam humilitatem, magnanimitatem, et in adversis patientiam; ac deniquè perseverantiæ donum, sanctam et felicem mortem. Eia, Advocata nostra, exhibe mihi in horâ mortis meæ jucundissimam præsentiam tuam, et adversùs ardores justitiæ divinæ umbrâ tuâ me contege. Ita eris mihi semper Domina et Regina colendissi-

Digitized by Google

ma, ac Mater amantissima; tuumque honorem et cultum, quibus potero obsequiis et officiis, tuo confirmatus favore, promovere conabor.

Duæ praxes præcedentes usui esse possunt visitantibus sacella Beatæ Virginis.

Praxis renovandi interdiù amorem erga Beatam Virginem.

SEPOSITIS tantisper aliis negotiis, et ad te reflexus, contemplaberis Sanctum Joannem stantem cum Beatâ Virgine ad crucem Domini, et auditis his Christi verbis, *Ecce Mater tua*, adimplentem id quod de ipso scriptum est, *Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.* Deindè urgebis teipsum ad imitationem Sancti Joannis, et ad renovandum, *Ex hâc horâ*, affectum tuum in Virginem, aliquantùm perpendens hæc verba, *Ex hâc horâ*, juxta sequentes considerationes, modò unam, modò duas, modò plures usurpando.

1. *Ex hâc horâ*, quâ tam multi sese filiali affectu ipsi devovent tum in cœlo tum in terrâ, ejus laudes concinunt, vel aliquod aliud ipsi obsequium præstant. Ingere te in mediam illorum turbam, et mirum est, si glacies tuæ tepiditatis non resolvatur ab istis ignibus. O ardores seraphicos! ô affectus omnium Sanctorum erga Mariam! Ubi, ubi estis? Cur vel unam scintillam non immittitis in nos, qui tam torpidi, tam frigidi, tam negligentes sumus in Virgine colendâ?

Digitized by Google

2. *Ex hâc horâ*, ante quam horam nunquam fortè servivisti Beatæ Virgini, sicut debuisti. Deus bone! tali Reginæ, tantæ Benefactrici, tot acceptis per singula momenta ab eâ beneficiis, nihil hactenùs rependisse! Tot horis quibus vixisti, ne unicam horulam perfectè in obsequium tam dilectæ Matris impendisse! Quid torpes? Quid differs? Quin saltem modò, quin hanc ipsam horam illi offers et consecras.

3. *Ex hâc horâ*, quâ tam multi pereunt defectu amoris et recursûs ad ipsam. Mille, et mille forsan, in agone extremo constituti, hoc ipso momento sistendi sunt Christo judici, et ab eo in æternum damnandi, qui, si vel semel cum sincero affectu Virginem inclamarent, ejus auxilio salvarentur. Quantum hoc est, æternùm perire, æternùm uri! Et quantulum est, Mariam implorare, amare, colere! Hoc nunc præsta, ut illud evites.

4. *Ex hâc horâ*, quâ te inermem et nudum, hinc potentissimi hostes, diabolus, mundus, caro persequuntur; illinc justitia divina ad supplicium peccatis debitum deposcit. Tentationi succumbes, fies præda, nisi tibi Beata Virgo suppetias ferat, nisi pro te intercedat. Quisquis hæc legis, si lethali peccato oneratam geris conscientiam, attende, precor, hunc miserum statum tuum. Privatus paterno seu speciali Dei adjutorio, in quo ante peccatum, cùm esses in statu gratiæ, velut rex degebas, omnium virtutum et meritorum ornamentis spo-

Digitized by Google

liatus, bestiæ similior quàm homini, alter Nabuchodonosor, in deserto peccatorum, inter immanissimas belluas, continuò pavens, deplorantibus tuam calamitatem Angelis, et præsertim tuo Custode, (ejus si consilio auscultâsses, non jam tot in miseriis gemeres infelix!) continuis conscientiæ flagellis atrociter cæsus, solus, et derelictus ab omnibus, judici terribilissimo, fortè hodiè, fortè hâc ipsâ horâ sistendus vivis; et potes vivere? Ecce tibi Maria, asylum miserorum, expansis ulnis, immunitatem pacemque offert; quin ad eam confugis?

5. *Ex hâc horâ*, quâ tam multi idololatræ, hæretici, blasphemi, sacrilegi, innumeris modis Beatæ Virginis nomen proscindunt, imagines conculcant, cultum abominantur; tu Matri tuæ tot illatas injurias negliges? Non compensabis, eò ferventiùs, hâc ipsâ horâ, eam amando, colendo; præsertim cùm et Angelus tuus Custos, et Angeli Custodes istorum blasphemorum, id à te deposcant et expectent?

6. *Ex hâc horâ*, quâ Christus tantoperè desiderat, ut tu colas Matrem suam. Petenti Christo in mediis suis tormentis unum hoc à te solatium, ut Matrem suam tu deinceps haberes in Matrem, eamque coleres, procul dubio annuisses. Quod tunc petiit à Joanne, et à te petiit, et modò hâc ipsâ horâ petit; et non annues? Quam ultrò maximè deberes, nunc non coles perfectissimè, ab ipso, tali tempore, istis verbis, rogatus?

Digitized by Google

7. *Ex hâc horâ*, quâ ipsamet Beata Virgo tui peramanter meminit; rerum tuarum satagens, de te loquitur cum Angelo tuo Custode, et cum aliis patronis, pro te Filium interpellat, beneficia tibi confert innumera. Et talis Matris affectus, tam provida, tam sedula, tam constans tui cura, non transfiget cor tuum saluberrimo et suavissimo amoris vulnere, ut langueat et liquefiat anima tua, illi placendi et serviendi desiderio?

Unâ ex his considerationibus mente pertractatâ, spatio duntaxat unius Miserere, *cum fervore et proposito diligentiùs deinceps Deiparam colendi, recita semel* Salutationem Angelicam, *vel hanc orationem:*

MARIA, mater Dei et Virgo, ego te ex hâc horâ, et in perpetuum, in Dominam et Advocatam adscisco, et in Matrem ac in omnia mea accipio. Tu vicissim me suscipe in clientem perpetuum, et in filium immeritum; adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in horâ mortis. *Amen.*

Patri misericordiarum Eucharisticon, pro dono devotionis in Beatam Virginem.

DILIGEMUS te, Domine Deus noster, et benedicemus nomini sancto tuo, quia nos indignissimos servulos tuos, præventos, ab æterno, benedictionibus dulcedinis tuæ, in tempore beneplaciti tui, miserationibus immensis et innumeris cumulâsti; ac in primis

Digitized by Google

quia per lumen vultûs tui, quod signâsti super nos, per donum fidei et cœlestes inspirationes, significare nobis dignatus es, quàm gratum acceptumque sit divinæ tuæ Majestati, et nobis utile ad salutem, sanctissimam Virginem, Unigeniti tui Matrem, toto affectu diligere, totoque mentis et corporis conatu honorare et colere, atque ut id adimpleremus, è dilectæ matris nostræ Ecclesiæ uberibus, simul cum lacte religionis Catholicæ, tenerrimum et filialem Mariæ amorem visceribus instillâsti. Propter hoc lætitiam dedisti in corde nostro, cùm in certo salutis discrimine versantes, hoc beneficium, velut prædestinationis signum, animis gaudio colliquescentibus, contemplamur, et in colendâ Virgine cœlestis regni delicias prælibamus. O Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, istam per te de Mariâ, Matre misericordiæ et consolatrice afflictorum, conceptam fiduciam confirma, et nos toto corde, ejus devotos obsequio, ne aliquandò in eo deficiamus et langueamus, continuato gratiarum tuarum influxu potenter perfice: per Jesum Christum Filium tuum, cui tecum, et cum Sancto Spiritu, laus, honor, et gloria in omnem æternitatem. *Amen.*

Vide alias orationes ad Beatam Virginem pag. 20. *Item in Sylvâ Orationum.*

Digitized by Google

MODUS DELIBERANDI DE VITÆ STATU ELIGENDO.

Præcipua axiomata, quæ de statu vitæ deliberanti impressa esse debent.

1. PRÆ omnibus obsequar inspiranti Deo. *Sapiens corde est, potens robore; quis restitit ei, et pacem habuit?* Job. ix.

2. Inspirat Deus, quæ magis sunt secundùm voluntatem ejus.

3. *Voluntas Dei* est salus et *sanctificatio nostra;* nec tantùm qualiscumque, sed certior, sed abundantior. 1. *Thes.* iv.

4. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. xvi. Alia habeat, et se perdat!

5. Quid prodest in hujus vitæ momento delectari et honorari, si probrosè cruciandus, sum damnandus in æternitates infinitas?

6. Præ oculis habere debeo judicium Dei, et nihili facere, quidquid obmurmurent aut contrà sentiant homines. Nonne benè mecum agitur, si aliis displicens, placeo angelis et Deo? Quàm multi avari, dummodo vilis pecuniæ tantillum lucrifaciant, nihil ducunt, quòd vulgi odium irritent, et hominum fabula sint.

7. Ad æterna creatus sum. Numquid non magnum est status æternus? In æterno illo statu, ubi omnia æterna sunt, vel unicam unius bonæ actionis coronam, præ alio comparâsse,

Digitized by Google

quantum! Quàm nullis aut commodis aut hujus vitæ honoribus redimi vel recuperari poterit! Quid ergo, quantum erit singularis alicujus virtutis, aut statûs perfectioris perpetuam observantiam præ aliis amplecti!

8. Perfectius id putabo, quod magis ex virtute est. Virtus autem, cùm sit animi constans habitus, cavebo ne illam ab externâ specie potissimùm æstimem. *Omnis* enim *gloria filiæ regis ab intùs.* (Psal. xliv.) Cavendum autem ne externa species depopuletur internam, dicente Domino: *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Luc. xvi.

9. Item, cùm virtus sit constans habitus, non est illud magis ex virtute, quod magis ex arduo incipit, et deinceps multa faciliora et liberiora indulget; sed illud, quod firmiore vestigio progreditur, et usque ad extremum eidem invariato tenori insistit.

Quid quisque à se sciscitari sincerè et coram Deo debeat.

1. HORUM statuum quem putem esse Deo gratiorem?

2. Quem animæ meæ, et proximorum saluti, securiorem et utiliorem?

3. Quando mihi mors imminebit, quo in statu vixisse me mallem?

4. Quo de statu faciliorem me rationem Deo redditurum spero?

5. Cùm nihil sit vitâ Christi et Sanctorum beatius, quo in statu similior illis fiam?

Digitized by Google

6. Si amo te, bone Jesu crucifixe, nihilne amori tanto rependam? In quo ergò statu, me tuum tibi redonabo perfectiùs?

De usu et intellectu horum, age cum perito Directore, et eo, qui te ad certum statum pertrahere non conetur.

Errores præcipui, qui deliberationem impediunt.

1. DIFFIDENTIA eorum qui sincerè nobis consultum volunt, et id possunt.

2. Inveterata ad statum aliquem affectio, quæ solâ persuasione, aut convictu, aut familiaritate, et non ratione nititur.

3. Existimare hoc solidum esse: si salvari in tali statu possum, sat est.

4. Timere quid dicere possit mundus, aut tales, vel tales.

5. Se ita Deo committere, ut dicat: contentus ero tali statu, in quo Deus me esse permiserit.

6. Solicitè observare, quò sentias te affectionum motibus ferri, potiùs quàm rationi docenti obtemperare.

7. Hærere in ancipiti, nullam sibi vim inferendo, et finem dubitationi certâ determinatione non imponere.

Remedia applicanda dictis erroribus.

1. *FILI, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebit.* Eccles. xxxii.

2. Ratio lux est nostra. Qui affectum, non

Digitized by Google

rationem sequitur, hoem relinquit, tenebras diligit; at in tenebris facile est offendere.

3. Quærendum est, ubi securiùs et majore cum gloriâ salvabor. Certè qui viatorum relinquet viam planam, securam, et mundam, contentus aliâ quâcumque, dummodò talis sit ut fortè per illam pervenire domum possit, quantumvis serus, lassus, lutosus, aut multâ vulnerum à prædonibus obiter acceptorum cicatrice deturpatus, minimè sapiens censebitur.

4. Tunc, cùm venerit, quid dicet, improperabit, judicabit Deus?

5. Multa abominanda peccata permittit Deus, multosque damnari, qui quæ bona sciunt, non faciunt. Vult manum operi admoveas.

6. Rationis dictamen homini à Deo datum est, ut sit regula actionum deliberationumque omnium, et sub eâ sint omnes appetitûs motiones.

7. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. xi. Videsne vim tibi inferendam esse? Quis ex tenui et humili fortunâ, ad magnas opes aut honores sine labore pervenit? Tu sine sudore sortem filiorum Dei consequi præsumis? *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Apoc. ii.

Digitized by Google

Orationes

Pro salutari vitæ statu eligendo.

Ad Deum.

O DEUS æterne, qui cuncta gubernas, disponis, et moderaris, invoco paternam pietatem tuam, et peto ut locum et statum eum mihi provideas, ubi congruenter ad tuam gloriam et ad meam salutem tibi famulari valeam: per Christum Dominum nostrum.

Ad Beatam Virginem Mariam.

O PULCHERRIMA misericordissimaque Dei Mater, ac Virgo Maria, post Deum spes unica, oro te, per clementissimum cor tuum, ut me in Filium tuum suscipias; mei curam, nunc et in omni tempore, habeas; ab omni mortali peccato me, hodiè totâque vitâ meâ, protegas ac liberes; donum castitatis, omnesque virtutes, quibus Filio tuo Domino nostro Jesu Christo placuisti, mihi impetres; et me ad statum vitæ Filio tuo et tibi gratissimum, mihique saluberrimum, dirigas. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, memento, quæso, mei, nunc et in horâ mortis meæ. *Amen.*

Piæ aspirationes pro divinâ voluntate cognoscendâ.

LOQUERE, Domine, quia audit servus tuus. 1 *Reg.* iii.

Domine, quid me vis facere? *Act.* ix.

Digitized by Google

Vias tuas, Domine, demonstra mihi; et semitas tuas edoce me. *Psal.* xxiv.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; tantùm voca me, et sequar quocunque vocaveris.

O utinam, amantissime Jesu, ô utinam scirem, quâ mihi eundum esset!

Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas! *Psal.* cxviii.

Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. *Psal.* cxviii.

Ecce me, Domine, ecce me paratum ad omnem nutum tuum.

Quid eligam ignoro, tuam unius expecto voluntatem. Est via non rarò, quæ videtur homini recta, et novissima; eheu! ducit ad mortem, mortem sempiternam. Ideò rogo te, Domine, ex intimo cordis affectu, dirigere me digneris in viam bonam, quâ scis me perventurum ad finem optatum et portum peregrinationis hujus.

Oblatio sui ad quemlibet statum.

O DOMINE, Deus meus, quamcunque viam mihi ostenderis, eligam. Etiamsi difficilis sit, tu potens es; etiamsi humilis sit, tu sapiens es; et si laboriosa, tu bonus es. Nemo potest venire post te, Domine Jesu, nisi qui tollat crucem suam; impone mihi eam, quæ placeat Majestati tuæ. Tu enim es Dominus, nos servi; tu Pater, nos filii; tu Rex, nos subditi; tu denique Pastor es, et nos oves. Fac,

Digitized by Google

quæso, ut audiam vocem tuam, et cognoscam eam; ut sequar te, ô vita mea, et omne bonum meum.

Oratio quotidiè dicenda post electionem.

O BENIGNISSIME Deus, ostendisti mihi viam in quâ ambulem; et, quod non fecisti omni nationi, judicia tua et leges manifestâsti mihi. Ecce coram te, Domine, et curiâ tuâ cœlesti, in viâ hâc N. ambulare statui, ut tibi serviam omnibus diebus vitæ meæ. Concede mihi gratiam, per sanguinem Jesu Christi, quâ desideria ista, de tuâ inspiratione concepta, complere, tibique, et Filio tuo, et suavissimæ Matri ejus servire valeam, et tecum in æternum vivere. *Amen.*

MODUS SE PRÆPARANDI AD MORTEM.

Vitæ nostræ ultimus actus est mors; quæ, ut felix et fortunata nobis sit, cogitationes omnes atque actiones huc dirigi debent. Non potest enim malè mori, qui benè vixerit. Benè autem et feliciter vivet, quicumque benè mori didicerit; benè autem mori noverit, qui in omni vitâ mortis memor fuerit, et ad eam se comparaverit. Cùm igitur omnis scientia atque doctrina, omnis exercitatio, et dies omnes eò referuntur ut novissima beata sit; de illâ tanquam triumphali, tanquam æternâ, tanquam metâ et

Digitized by Google

termino peregrinationis nostræ, à quâ felicitas dierum omnium et æternitatis pendeat, loquendum est.

Præparatio remota.

1. FREQUENTER mortis recordare. In Clarayalle fertur sepulchrum semper esse apertum primo morituro, quod, memoriæ mortis causâ, quotidiè visitant Religiosi. In alio Ordine, singuli habent in cubiculo sarcophagum. In alio, salutare se invicem soliti erant hoc pacto: *Frater, debemus mori.* Respondebat alter: *Nescimus quando.* Vides quàm fuerit cordi viris sanctis mortis perpetua recordatio.

2. Cùm peregrinus sis super terram, transmittas opes, hîc perituras, in patriam per manus pauperum, sæpè eleëmosynam, quamvis tenuem, largiendo.

3. Negotia omnia ita suscipe, ut brevi moriturus.

4. Quotidiè cubitum iturus, quasi ad mortem te para; et cogita, an verè ad eam sis paratus; qualiter, cùm ea venerit, vixisse optabis.

5. Quotidiè manè,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

6. Observa diligenter, ut assuescas ad omnia subita, veluti cespitationes, lapsus, fragores, &c. excitare actus contritionis, fidei,

Digitized by Google

spei, charitatis, verbo uno; V. G. *doleo, credo, spero, diligo.* Sic enim tales affectus, quos ex consuetudine piâ didicisti, dilatare poteris, et quasi in ictu oculi eosdem repræsentare.

7. Saltem semel in anno ita te dispone, quasi brevi moriendum tibi foret, existimans tibi dictum ab angelo: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* Isaiæ xxxviii. Tunc porrò Confessionem generalem ab ultimâ facies, eâque diligentiâ et curâ, ac si postrema futura esset.

8. Sequentes orationes sint tibi familiares.

Oratio pro felici morte obtinendâ.

DOMINE Jesu Christe, vitæ et necis Princeps, cui et vivimus et morimur, per sacrosanctam et amantissimam in cruce mortem tuam, precor, ut adventus in morte tuus me non, uti dormientem, imparatum et inertem, sed vigilantem et frugi servum offendat. Ne permittas, quæso, me impœnitentem ex hâc migrare vitâ, et improvidâ morte præoccupari; sed moriturum maturè confirmes, ac munias Catholicâ fide, verâ pœnitentiâ, purâ Confessione, dignâ satisfactione, et sanctissimo Eucharistiæ Viatico, Oleique sancti perceptione. Cùm cætera omnia me deserent, quæ caduca et fluxa in hoc mundo possidentur, tu, qui cum electis tuis perpetuò manes, me non deseras, præsertim in extremo illo vitæ agone, quando cum infestissimo Satana vel maximè luctandum est. Assistant mihi

Digitized by Google

tum in morte Angeli tui, et migraturum adversùs tentationes omnes protegant, tum in doloribus consolentur atque confirment. Vigeant in me tunc, fides, spes, charitas, et patientia. In manus tuas me, animi omninò compotem, commendem, atque in pace sanctâ obdormiam, ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparâsti, securè transire possim. Memento mei, Domine, qui regnum tuum pœnitenti, etiam serò, latroni promittere, ac, pro summâ clementiâ tuâ, donare dignatus es.

Oratio ad Sanctissimam Trinitatem in eumdem finem.

PATER æterne, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, per omnem bonitatem tuam te rogo, concede mihi, ut in bono perseverem, et moriar in gratiâ tuâ.

Bone Jesu, per charitatem æterni Patris, et ultima in cruce verba, quibus Patri spiritum commendâsti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

Spiritus Sancte Deus, miserere mei, et sanctâ inspiratione tuâ me semper, et potissimùm in horâ mortis meæ, corrobora.

Sanctissima Trinitas, unus Deus, miserere mei nunc, et in horâ mortis meæ. *Amen.*

Modus salutandi Beatam Virginem trinâ salutatione Angelicâ, quem ipsamet Sanctam Mechtildem *docuit; promittendo ei certum in horâ mortis auxilium.*

Digitized by Google

Post 1. Ave Maria.

O DOMINA mea, Sancta Maria, sicut Deus Pater, per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, ità mihi, quæso, adsis in horâ mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem.

Post 2. Ave Maria.

O DOMINA mea, Sancta Maria, sicut Filius Dei tantâ te cognitione et claritate dignatus est, ut totum cœlum illuminet, ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei sic illustres et corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur.

Post 3. Ave Maria.

O DOMINA mea, Sancta Maria, sicut Spiritus Sanctus suum amorem plenè tibi infudit, ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. *Amen.*

Præparatio propinqua.

Cum infirmus eris, Confessarium tuum mox advoca. Ab eo monita salutis audi, et exige. In oculis continenter habe effigiem Christi crucifixi, dolores tuos offer in unione dolorum ejus. Aquam lustralem ad lectum habe. Potiones medicas sume in satisfactionem delictorum. Roga prælegi subindè libellum pium idoneum. Viaticum ne procrastina. Confitere, et communica sæpiùs, si potes. Sacram

Digitized by Google

Unctionem postula, vegetis adhuc sensibus. Indulgentias promerere, aut numismatis, aut Sodalitatis, cui inscriptus es. Impera Missæ sacrificium, ac eleëmosynas, etiam pro vivo adhuc, et quidem hoc potiùs. Importunos omnes consolatores exclude. Cum Deo conversare. Immorare actibus fidei, spei, et charitatis, ac sanctissimis nominibus Jesu, Mariæ, et Joseph.

Testamentum (si quidem per ætatem aut parentes liceat) consultissimè sanus feceris. In eo, animæ in primis tuæ miserere. Malè parta restitue, ne tuorum gratiâ te mancipes æternis ignibus, vel etiam ipsis forsitan eorum materiam subministres. Si eam tibi gratiam Dominus dare dignabitur, ut ipsum cohæredem velis scribere, magnum arrham habes hæreditatis cælestis tibi obventuræ. Porrò iis in pauperibus Christum magis agnosce, quos veriùs cognoveris servos et amicos esse Jesu Christi; sic nempè Deum magis honoraturus de tuâ substantiâ. In sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiæ. *D. Hieronymus adversùs Vigilantium.*

Protestatio Moribundi.

DOMINE Deus, ego creatura tua, redempta sanguine Filii tui, ad te venio Creatorem meum, ob quem creatus sum, ob quem vixi, propter quem et in quo mori cupio. Venio, inquam, cum fiduciâ, et me projicio in sinum misericordiæ tuæ. Quantùm possum doleo, quòd tui aliquando oblitus fuerim, qui nunquam oblitus es mei. O utinam te nunquam offendissem. Suscipe hoc, ab intimo cordis mei, ardens votum, et miserere mei;

Digitized by Google

scis enim, uti spero, Domine, quia amo te plusquàm me, et super omnia, quæ sunt, et esse possunt. Scio quia cor contritum et humiliatum non despicies, neque unquam projicies me; paratum enim cor meum, Deus, facere voluntatem tuam. O felix hora, quando veniam ad te! Priusquàm autem abeam, cupio Bonitati tuæ toto corde offerre sacrificium laudis. Gratias igitur ago tibi infinitas, quòd me creare ad imaginem tuam, redimere sanguine Filii tui, totiès mihi parcere dignatus sis. Quid verò tibi, Domine Jesu, retribuam pro vitâ et morte tuâ, et quòd totiès me pascere dignatus es corpore tuo? Abyssus miseriarum mearum invocat abyssum immensæ charitatis tuæ, in voce quinque vulnerum tuorum; propter hæc, etiamsi occideris me, in te sperabo. Quis mihi trìbuat, ut cum omni affectu cœlestis curiæ te laudem atque glorificem? *Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Psalm. cxx. Abnego omnia terrena, quia in te uno omnia habeo; abnego me, quia tuus sum ego. *Pone*, ergò, *me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Job. xvii. Et si fortè contingeret vi morbi, aut hostis fallaciâ, aliena ab his me cogitare vel loqui, ea revoco et abjuro; et protestor coram te, Deus meus, et te, ô Mater Dei et mea, Virgo Maria, et vobis, Angeli et Sancti Dei, quia in fide apostolicâ, catholicâ, Romanâ, vivere volo et mori. In Deo ac Domino meo Jesu Christo solo confido, et meri-

Digitized by Google

tis ejus; et amo illum super omnia, toto corde, totâ animâ meâ, et usque ad extremum spiritum amare volo. Quidquid contra hæc, tam sanctè et tam sincerâ voluntate concepta, mihi hostis suggesserit, irritum esse cupio, et pro nihilo haberi desidero, totumque omninò abominor, execror, et abjuro; hocque testamentum in die judicii solum volo validum esse, quod paratus sum sanguine meo signare, pro quo, et pro te, ô Deus meus, millies mori opto ut tibi vivam, cui omnia vivunt. Tibi moriar, dulcissime Jesu, qui amore mei dignatus es mori.

Preces jaculatoriæ infirmorum.

Nota, quamvis preces sequentes videantur morituris accommodatæ, posse et debere saltem plerasque usurpari etiam ab iis, qui sunt extra periculum mortis, et tantùm levi morbo laborant; ut tempore ægritudinis non vacent ab exercitatione pietatis. Nec est necesse omnes aut multas recitare; sufficit enim si una aut altera, cum pietatis sensu, sæpiùs repetatur.

JUSTUS es, Domine, et rectum judicium tuum. *Psal.* cxviii.

Deus, propitius esto mihi peccatori. *Luc.* xviii.

Agnosco et amplector charitatem tuam erga me; agnosco et detestor ingratitudinem meam erga te.

Digitized by Google

Respice, Domine, super hanc animam meam, pro quâ non dubitâsti manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Suscipe, Pater æterne, dolores meos in unione amarissimæ Passionis ac mortis dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, in quo tibi benè complacuit.

Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu. *S. Gertrudis quotidiè tercenties sexagies quinies hoc dicebat; tot scilicet vicibus, quot sunt in anno dies.*

Dignum est, ut hâc horâ patiatur aliquid servus tuus, pro quo ipse tam multa pati dignatus es. *Thomas à Kempis.*

Hîc ure, hîc seca, hîc nihil mihi parcas, ut in æternum parcas. *S. Augustinus.*

Jesu Fili Dei, sicut scis, sicut vis, miserere mei. *Idiota.* Jesu, esto mihi Jesus.

Piissime Jesu, pone Passionem, crucem, et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam.

Te supplex, omnium creaturarum possibilium possibili affectu, adoro, laudo, glorifico, Deus cordis mei.

Doleo ex toto corde meo, quòd unquam offendi te.

Abyssus abyssum invocat; abyssus miseriæ, abyssum misericordiæ.

Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et horâ mortis suscipe.

Eja Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

Digitized by Google

Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Ora pro nobis, sancta Dei genitrix,

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Sancte Michael Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, jam nunc in hoc discrimine tuere me.

Sancti patroni mei, sanctæ patronæ meæ, intercedite pro me.

Omnes Angeli et Sancti Dei, circumdate lectum doloris mei; et defendite me ab omni incursu hostis maligni.

Credo in te, spero in te, amo te, Deus meus, ô summum et omne bonum meum.

Spero in misericordiâ tuâ, Domine; et in multitudine miserationum tuarum habebo fiduciam.

Amo te ex totâ mente meâ, et ex omnibus viribus meis; et amare te et glorificare volo in æternum.

Mori jam denique supplex efflagito, ne unquam ampliùs offendam te.

Unam petii à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione meâ.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Digitized by Google

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum!

Concupiscit et deficit anima mea in atria tua, Domine.

Veni, Domine Jesu; veni, et noli tardare.

O bone Jesu, suscipe spiritum meum.

O Jesu! ô Maria! ô Joseph!

Digitized by Google

Exercitium Hebdomadarium.

DOMINICA.

OFFICIUM PARVUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Ad Matutinum.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DOMINE, labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen. Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur,* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

JAM sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde amorem cordibus.

Digitized by Google

Antiphona.

BENEDICTA sit sancta, creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentiâ Majestatis adorare Unitatem; quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Ad Primam.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

ORTUS refulget lucifer,
Præitque solem nuntius;
Cadunt tenebræ noctium:
Lux sancta nos illuminet.

Digitized by Google

Antiphona.

GRATIAS tibi, Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SUMMÆ Parens clementiæ,
Mundi regis qui machinam,
Unius et substantiæ
Trinusque personis Deus.

Antiphona.

TE invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, honor noster; libera nos, ô beata Trinitas.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Digitized by Google

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

DA dexteram surgentibus,
Exurgat ut mens sobria,
Flagrans et in laudem Dei,
Grates rependat debitas.

Antiphona.

CHARITAS Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus Sanctus; verax est Pater, veritas Filius, veritas Spiritus Sanctus; Pater et Filius et Spiritus Sanctus una substantia est, ô beata Trinitas.

Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Digitized by Google

Ad Nonam.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

TU Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Antiphona.

TIBI laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna; et benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, et laudabile, et superexaltatum in sæcula, ô beata Trinitas.

Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Ad *Vesperas.*

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Digitized by Google

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

TE manè laudum carmine,
Te deprecamur vespere;
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter cœlites.

Antiphona.

TE Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, te toto corde et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus; tibi gloria in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

BENEDICTA sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster.
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.

Digitized by Google

Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

GLORIA tibi, Trinitas
Æqualis, una Deitas,
Et ante omnia sæcula,
Et nunc, et in perpetuum.

Antiphona.

GLORIA Patri, qui creavit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos; gloria summæ et individuæ Trinitati, Deo nostro, in sæcula sæculorum.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Dixi, sancta Trinitas, tui ratione;
Ut sis mihi præsens mortis in agone,
Et regnemus jugiter in cœli regione. *Amen.*

Digitized by Google

FERIA II.

OFFICIUM PARVUM SANCTI SPIRITUS.

Ad Matutinum.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

DOMINE, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur,* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

NOBIS Sancti Spiritûs gratia sit data,
De quâ Virgo Virginum fuit obumbrata.
Cùm per sanctum Angelum fuit salutata,
Verbum caro factum est, Virgo fœcundata.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.
Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
Et renovabis faciem terræ.

Digitized by Google

Oremus.

ADSIT nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritûs Sancti, quæ corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

Ad Primam.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

DE Virgine Mariâ Christus fuit natus,
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus;
Resurgens Discipulis fuit demonstratus,
Et, ipsis cernentibus, in cœlos est elevatus.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Digitized by Google

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SUUM Sanctum Spiritum Deus delegavit.
In die Pentecostes Apostolos confortavit;
Et de linguis igneis ipsos inflammavit:
Relinquere orphanos eos denegavit.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SEPTIFORMEM gratiam tunc acceptaverunt;
Quare idiomata cuncta cognoverunt.

Digitized by Google

Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem Catholicam tunc prædicaverunt.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SPIRITUS Paraclitus fuit appellatus
Donum Dei, charitas, fons vivificatus,
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Digitized by Google

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Ad Vesperas.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

DEXTERÆ Dei digitus, virtus spiritalis,
Nos defendat, eruat ab omnibus malis;
Ut nobis non noceat Dæmon infernalis,
Protegat, et nutriat, foveatque sub alis.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

SPIRITUS Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Amen.*

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.

Digitized by Google

Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri *Alleluia.*

Hymnus.

SPIRITUS Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere et illuminare;
Ut cùm Deus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram omnes appellare.

Antiphona.

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;
Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Adsit nobis, quæsumus, Domine, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Tibi, Sancte Spiritus, piâ ratione
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in cœli regione. *Amen.*

Digitized by Google

FERIA III.

OFFICIUM PARVUM SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Ad Matutinum.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula.
Amen.

Versus.

DOMINE, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Digitized by Google

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.

Oremus.

DEUS, qui gloriosissimum nomen Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii tui, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes qui hoc nomen Jesu devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis jubilationis obtineant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Ad Primam.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

NIL canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Jesus Dei Filius.

Digitized by Google

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus, qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula.
Amen.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

JESU, spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus

Digitized by Google

exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus, qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

JESU, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Digitized by Google

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus, qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula.
Amen.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

NEC lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Digitized by Google

Ad *Vesperas.*

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

JESU, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus, qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

SIT nomen Domini benedictum in sæcula. *Amen.*

Digitized by Google

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

MANE nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsâ mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

Antiphona.

HUMILIAVIT semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.
Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.
Oratio. Deus qui gloriosissimum, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Dixi, pie Jesu, tui ratione,
Ut sis memor mei mortis in agone,
Tecum et congaudeam in cœli regione. *Amen.*

Digitized by Google

FERIA IV.

OFFICIUM PARVUM SANCTI ANGELI CUSTODIS.

Ad Matutinum.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

DOMINE, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur,* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

CUSTODES hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Digitized by Google

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili providentiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æternâ societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Ad Primam.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

NAM quòd corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus,
Ardens invidiâ, pellere nititur
Quos cœlo Deus advocat.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Digitized by Google

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus, qui ineffabili, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

HUC Custos igitur pervigil advola,
Avertens patriâ de tibi creditâ,
Tam morbos animi, quàm requiescere
Quidquid non sinit incolas.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus, qui ineffabili, *ut suprà.*

Digitized by Google

Ad Sextam.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

CHRISTE, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator et Redemptor,
Cœlitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus, qui ineffabili, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Digitized by Google

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

ANGELUS pacis Michaël in ædes
Cœlitùs nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis, lacrymosa in orcum
Bella releget.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus, qui ineffabili, *ut suprà.*

Ad *Vesperas.*

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

ANGELUS fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo,

Digitized by Google

Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus qui ineffabili, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Amen.*

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

ANGELUS, nostræ medicus salutis,
Adsit è cœlo Raphaël, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Antiphona.

SANCTI Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Digitized by Google

In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus qui ineffabili, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Dixi, Custos Angele, tui ratione;
Precor me custodias mortis in agone,
Et præsens me deducas in cœli regione. *Amen.*

ANGELE Dei, qui custos es mei,
Me tibi commissum pietate supernâ,
Hodiè illumina, custodi, rege, et guberna.
Amen.

Digitized by Google

FERIA V.

OFFICIUM PARVUM SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Ad Matutinum.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

DOMINE, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur,* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

PANGE lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem, in mundi pretium,
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Digitized by Google

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili, Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Ad Primam,

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo; Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina. Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

NOBIS datus, nobis natus,
Ex intactâ Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatûs,
Miro clausit ordine.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demon-

Digitized by Google

strares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

IN supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observatâ lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Digitized by Google

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.
Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

VERBUM caro, panem verum
Verbo carnem efficit;
Fitque sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.
Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Digitized by Google

Ad Nonam.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

PANIS angelicus
Fit panis hominum.
Dat panis cœlicus
Figuris terminum.
Manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Ad Vesperas.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Digitized by Google

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

TANTUM ergo Sacramentum
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui.
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Antiphona.

O SACRUM convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

PANEM Angelorum manducavit homo;
Et paratur ei mensa Domini.

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Digitized by Google

Hymnus.

GENITORI, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio ℣
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

Antiphona.

O QUAM suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Panem de cœlo præstitisti eis, Domine,
Omne delectamentum in se habentem.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Dixi, in memoriam tui, Jesu bone,
Corporis sanctissimi, piâ ratione:
Fac ut illo perfruar in cœli regione. *Amen.*

Digitized by Google

FERIA VI.

OFFICIUM PARVUM SANCTÆ CRUCIS.

Ad Matutinum.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

DOMINE, labia mea aperies;
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Non dicitur Alleluia, *neque* Laus tibi, Domine.

Hymnus.

PATRIS sapientia, Veritas divina,
Deus homo captus est horâ matutinâ;
A notis Discipulis citò derelictus,
A Judæis traditus, venditus, et afflictus.

Antiphona.

O CRUX venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cœlîtem præparâsti?
Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Digitized by Google

Oremus.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone Passionem, Crucem, et Mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc et in horâ mortis meæ; et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam, Ecclesiæ tuæ pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Ad Primam.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

HORA primâ Dominum ducunt ad Pilatum,
Et à falsis testibus multùm accusatum,
Colaphis percutiunt manibus ligatum:
Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.

Antiphona.

O CRUCIS victoria, et admirabile signum,
in cœlesti curiâ fac nos captare triumphum.
Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

Digitized by Google

Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

CRUCIFIGE, crucifige, clamitant horâ tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum :
Caput ejus pungitur coronâ spinarum :
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Antiphona.

FUNESTÆ mortis damnatur supplicium, dùm Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Ad Sextam.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Digitized by Google

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

HORA sextâ Jesus est cruci conclavatus,
Et cum latronibus pendens est deputatus,
Præ tormentis sitiens felle saturatus,
Agnus crimen diluens sic ludificatus.

Antiphona.

PER lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberati sumus; fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

HORA nonâ Dominus Jesus expiravit,
Eli clamans, spiritum Patri commendavit:
Terra tunc contremuit, et sol obscuravit.

Digitized by Google

Antiphona.

O MAGNUM pietatis opus! mors mortua tunc est, in ligno quando mortua Vita fuit.
Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut suprà.*

Ad Vesperas.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

DE Cruce deponitur horâ vespertinâ,
Fortitudo latuit in mente divinâ.
Talem mortem subiit vitæ medicina:
Heu corona gloriæ jacuit supina!

Antiphona.

O CRUX benedicta, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in quâ mundi Salus pependit, in quâ Christus triumphavit, et mors mortem superavit in æternum.
Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti mundum.

Digitized by Google

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

PER signum Crucis de inimicis nostris,
Libera nos, Deus noster.

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster;
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Hymnus.

HORA Completorii, datur sepulturæ
Corpus Christi nobile; Spes vitæ futuræ
Conditur aromate; complentur Scripturæ:
Jugis sit memoria mortis suæ duræ.

Antiphona.

SALVATOR mundi, salva nos; qui per
Crucem et Sanguinem tuum redemîsti nos,
auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.
Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
Quia per sanctam Crucem tuam redemîsti
mundum.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo piâ ratione;
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. *Amen.*

Digitized by Google

SABBATO.

OFFICIUM PARVUM SANCTI JOSEPH.

Ad Matutinum.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DOMINE, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur,* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

JOSEPH, David filius, clarâ stirpe natus,
Jesu Christi Domini Pater nuncupatus,
Desponsatus Virgini, mente copulatus,
Utriusque custos cœlo destinatus.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.
Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur;

Digitized by Google

ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Ad Primam,

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Allelùia.*

Hymnus.

TU, qui sponsam gravidam dolens cùm videres,
Cogitabas anxius, an eam retineres;
Sed cœlestis monitor, ne ampliùs timeres,
In somnis admonuit, ut potiùs gauderes.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.
Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Allelùia.*

Digitized by Google

Hymnus.

BETHLEHEM profectus, censum soluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi nasciturus
Erat mundi Dominus, quique mox facturus,
Ut ipsum infantulum esses amplexurus.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.

Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

CUM Herodes impius in pueros sæviret,
Gabriëlis monitu ampliùs ne dormiret,
Retulisti Sponsæ, ut tecum veniret,
Et, accepto parvulo, in Ægyptum iret.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.

Digitized by Google

Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

HOSTIBUS defunctis inde recessisti,
Et in Galilæam tecum reduxisti
Puerum et Sponsam, sicut didicisti
Cœlitùs, et Nazareth humilis vixisti.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.
Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Ad Vesperas.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Digitized by Google

Hymnus.

O QUI Jesum factum duodecim annorum
Perdidisti, tuum lumen oculorum!
Sed inventum posteà in medio Doctorum,
Custodisti sedulus Regem Angelorum.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.

Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus. Jesus, Maria, Joseph.

Versus.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

FELIX, quem in ulnis Jesus, cum Mariâ,
Tenuit cubantem, dùm in agoniâ
Spiritum efflares, ut directâ viâ
Tenderes ad Patres, functus vitâ piâ.

Antiphona.

SALVE Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconomus, qui panem vitæ et frumentum electorum conservâsti.

Digitized by Google

Ora pro nobis, Sancte Joseph,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, *ut suprà.*

Commendatio.

HAS Horas Canonicas cum attentione
Dixi, Sancte Joseph, tui ratione,
Ut sis memor mei mortis in agone,
Et vivamus simul in cœli regione. *Amen.*

Digitized by Google

OFFICIUM PARVUM

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Correctum juxtà Exemplar Lucæ in Italiâ impressum, 1679.

Ad Matutinum.

Versus.

EIA, mea labia, nunc annuntiate
Laudes et præconia Virginis immaculatæ.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

SALVE, mundi Domina,
Cœlorum Regina;
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiæ,
Clara luce divinâ;
Mundi in auxilium,
Domina, festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit

Digitized by Google

Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, æthera :
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, quæ in
Adam non peccavit.

Versus.

ELEGIT eam Deus, et præelegit eam.
In tabernaculo suo habitare fecit eam.
Domina, protege orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SANCTA Maria, Regina cœlorum, Mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi Domina, quæ nullum relinquis et nullum despicis, respice me, Domina, clementer oculo tuæ pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium, cunctorum veniam peccatorum; ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui, cum Patre et Sancto Spiritu, vivit et regnat in Trinitate perfectâ Deus in sæcula sæculorum. *Amen.*

Versus.

DOMINA, protege orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Digitized by Google

Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Ad Primam.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SALVE Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columnâ septemplici
Mensâque exornata;
Ab omni contagio
Mundi præservata,
Antè sancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum;
Nova Stella Jacob,
Domina Angelorum;
Zabulo terribilis,
Acies castrorum;
Portus et refugium,
Sis Christianorum.

Versus.

IPSE creavit illam in Spiritu Sancto.
Et exaltavit illam inter omnia opera sua.
Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Ad Tertiam.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloriâ Patri. *Allelúia.*

Hymnus.

SALVE Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis;
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis;
Porta clausa Numinis,
Favusque Sampsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe matris Hevæ,
Almam quam elegerat
Genitricem, verè
Nulli prorsùs sinens
Culpæ subjacere.

Versus.

EGO in altissimis habito.
Et thronus meus in columnâ nubis.
Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Ad Sextam.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SALVE Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis,
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpæ originalis;
Civitas Altissimi,
Porta orientalis;
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.

Versus.

SICUT lilium inter spinas,
Sic Amica mea inter filias Adæ.
Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SALVE urbs refugii,
Turrisque munita
David, propugnaculis
Armisque insignita.
In Conceptione,
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est à te contrita.
O mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisag Virgo,
Verum fovens David.
Rachel curatorem
Ægypti gestavit;
Salvatorem mundi
Maria portavit.

Versus.

TOTA pulchra es amica mea.
Et macula originalis nunquam fuit in te.
Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Ad Vesperas.

Versus.

DOMINA, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SALVE horologium,
Quo retrò gradiatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens Aurora,
In conceptu micat.
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis conterat
Caput, pulchra ut Luna
Errantes collustrat.

Versus.

EGO feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.
Et quasi nebulâ texi omnem terram.
Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Ad Completorium.

Versus.

CONVERTAT nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.
Et divertat iram suam à nobis.
Domina, in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri. *Alleluia.*

Hymnus.

SALVE Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata;
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deauratâ.
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum,
Patens cœli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aulâ Sanctorum. *Amen.*

Versus.

OLEUM effusum, Maria, nomen tuum.
Servi tui dilexerunt te nimis.

Digitized by Google

Domina, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio. Sancta Maria, Regina cœlorum, *ut suprà.*

Versus.

DOMINA, protege orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Commendatio.

SUPPLICES offerimus
Tibi, Virgo pia,
Hæc laudum præconia;
Fac nos ut in viâ
Ducas cursu prospero,
Et in agoniâ
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria.
Deo gratias.

Antiphona.

HÆC est virga, in quâ nec nodus originalis nec cortex actualis culpæ fuit.

In Conceptione tuâ, Virgo, immaculata fuisti.

Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparâsti; quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisâ, eam ab omni labe præservâsti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Conceptio

Sit nobis præsidium et protectio. *Amen.*

Digitized by Google

SEPTEM PSALMI PŒNITENTIALES

cum Litaniis dicuntur flexis genibus.

Antiphona. Ne reminiscaris.

PSALMUS VI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu, Domine, usquequò?

Convertere, Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valdè velociter.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Digitized by Google

PSALMUS XXXI.

BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dùm clamarem totâ die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci; et iniquitatem meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hâc orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in viâ hâc, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Digitized by Google

Lætamini in Domino, et exultate justi; et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

PSALMUS XXXVII.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmâsti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne meâ à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et, sicut onus grave, gravatæ sunt super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: totâ die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne meâ.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum; et gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est: dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei, adversùm me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxtà me erant, de longè steterunt; et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Digitized by Google

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; et dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam; et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei; et dùm commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me; et multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

PSALMUS L.

MISERERE mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Digitized by Google

Ampliùs lava me ab iniquitate meâ; et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam; et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis; et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tuâ; et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui; et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas; et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ; et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Digitized by Google

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benignè fac, Domine, in bonâ voluntate tuâ Sion ; ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta ; tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

PSALMUS CI.

DOMINE, exaudi orationem meam ; et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me : in quâcumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quâcumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei ; et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum ; quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitûs mei, adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Totâ die exprobrabant mihi inimici mei ; et qui laudabant me, adversùm me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.

Digitized by Google

Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes; et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion; quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine; et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloriâ suâ.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione alterâ; et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum; ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in viâ virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum; in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundâsti; et opera manuum tuarum sunt cœli.

Digitized by Google

Ipsi peribunt, tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt; et semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

PSALMUS CXLII.

DOMINE, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tuâ: exaudi me in tuâ justitiâ.

Digitized by Google

Et non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terrâ vitam meam.

Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi; et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum: meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me; et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in quâ ambulem; quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine: ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in æquitate tuâ.

Educes de tribulatione animam meam; et in misericordiâ tuâ disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Digitized by Google

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ DE BEATA VIRGINE,

in Ædc Lauretanâ dici solitæ.

KYRIE eleïson,
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, *miserere nobis.*
Fili Redemptor mundi Deus, *miserere nobis.*
Spiritus Sancte Deus, *miserere nobis.*
Sancta Trinitas unus Deus, *miserere nobis.*
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Ora pro nobis.

Digitized by Google

Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *Parce nobis, Domine.*

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *exaudi nos, Domine.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *miserere nobis.*

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster. *Secretò.*
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo.
Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eùmdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

LITANIÆ.

KYRIE eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, *miserere nobis.*

Digitized by Google

Fili Redemptor mundi Deus, *miserere nobis.*
Spiritus Sancte Deus, *miserere nobis.*
Sancta Trinitas unus Deus, *miserere nobis.*
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michaël,
Sancte Gabriël,
Sancte Raphaël,
Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli et Archangeli, *orate pro nobis.*
Omnes Sancti beatorum Spirituum ordines, *orate pro nobis.*
Sancte Joannes Baptista, *ora pro nobis.*
Sancte Joseph, *ora pro nobis.*
Omnes Sancti Patriarchæ et Prophetæ, *orate pro nobis.*
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Ora pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Marce, *ora pro nobis.*
Omnes Sancti Apostoli et Evangelistæ, *orate pro nobis.*
Omnes Sancti Discipuli Domini, *orate pro nobis.*
Omnes Sancti Innocentes, *orate pro nobis.*
Sancte Stephane, *ora pro nobis.*
Sancte Laurenti, *ora pro nobis.*
Sancte Vincenti, *ora pro nobis.*
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes Sancti Martyres, } *Orate pro nobis.*
Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae, } *Ora pro nobis.*
Omnes Sancti Pontifices et Confessores, *orate pro nobis.*
Omnes Sancti Doctores, *orate pro nobis.*
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce, } *Ora pro nobis.*
Omnes Sancti Sacerdotes et Levitæ, *orate pro nobis.*
Omnes Sancti Monachi et Eremitæ, *orate pro nobis.*

Digitized by Google

Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Ora pro nobis.

Omnes Sanctæ Virgines et Viduæ, *orate pro nobis.*

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, *intercedite pro nobis.*

Propitius esto, *parce nobis, Domine.*

Propitius esto, *exaudi nos, Domine.*

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab irâ tuâ,
A subitaneâ et improvisâ morte,
Ab insidiis Diaboli,
Ab irâ, et odio, et omni malâ voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetuâ,
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritûs Sancti Paracliti,
Libera nos, Domine.

Digitized by Google

In die judicii, *libera nos, Domine.*
Peccatores,
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut Domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sanctâ religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, ab æternâ damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,

Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Fili Dei, *te rogamus audi nos.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *parce nobis, Domine.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *exaudi nos, Domine.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *miserere nobis.*

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

Pater noster. *Secretò.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Psalmus.

DEUS, in adjutorium meum intende.

Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsùm, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus, adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

Digitized by Google

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*
Salvos fac servos tuos,
Deus meus, sperantes in te.
Esto nobis, Domine, turris fortitudinis
A facie inimici.
Nihil proficiat inimicus in nobis;
Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis.
Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
Oremus pro Pontifice nostro N.
Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terrâ, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
Oremus pro benefactoribus nostris.
Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. *Amen.*
Oremus pro fidelibus defunctis.
Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
Requiescant in pace. *Amen.*
Pro fratribus nostris absentibus.
Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
Mitte eis, Domine, auxilium de sancto;
Et de Sion tuere eos.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos et à peccatis omnibus exuas, et à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat, et totâ virtute perficiat.

Deus à quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritûs renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Digitized by Google

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

Versus.

DOMINE, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. *Amen.*

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Hymnus.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Digitized by Google

Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cœcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. *Amen.*

Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEFENDE, quæsumus, Domine, beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam; et toto corde

Digitized by Google

tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum nostrum. *Amen.*

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

Deus, qui glorificantes te glorificas, et in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut qui beatorum tuorum Ignatii et Francisci gloriosa merita recolimus, eorum pia patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat. *Amen.*

Digitized by Google

Oremus.

FIDELIUM Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

EXERCITIUM QUOTIDIANUM.

Cùm manè surgis, muniens te signo sanctæ Crucis, dic:

IN nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. *Amen.*

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. *Amen.*

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum;

Digitized by Google

benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ. *Amen.*

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos; tertiâ die resurrexit à mortuis; ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. *Amen.*

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere; meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis nostris, perducat nos ad vitam æternam. *Amen.*

Digitized by Google

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. *Amen.*

Dignare, Domine, die isto,
Sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine,
Miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
Quemadmodum speravimus in te.
Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DOMINE Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodiè salva virtute; ut in hâc die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio.

ANGELE Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ, hodiè illumina, custodi, rege, et guberna. *Amen.*

Benedictio.

DOMINUS nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam; et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Digitized by Google

Cùm manè, meridiè, et vespere, Salutationis Angelicæ signum datur.

ANGELUS Domini nunciavit Mariæ; et concepit de Spiritu Sancto. *Ave Maria, &c.*

Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundùm verbum tuum. *Ave Maria, &c.*

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. *Ave Maria, &c.*

Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nunciante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Ante inchoationem Officii.

Oratio.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Post Officium.

Oratio.

SUSCIPE, clementissime Deus, precibus et meritis beatæ Mariæ Virginis, et omnium

Digitized by Google

Sanctorum et Sanctarum, officium servitutis nostræ; et si quid dignum laude egimus, propitius respice, et quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qûi in Trinitate perfectâ vivis et regnàs Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

In aspersione aquæ benedictæ.

ASPERGES me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum.

Oratio.

AVE verum corpus, natum
De Mariâ Virgine,
Verè passum, immolatum
In Cruce pro homine;
Cujus latus perforatum
Fluxit undâ et sanguine,
Esto nobis prægustatum
In mortis examine.
O dulcis, ô pie, ô Jesu Fili Mariæ,
Miserere mei. *Amen.*

Oratio ante Missam.

CLEMENTISSIME Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui non semel tantùm Filium tuum unigenitum in cruce nostræ reparationi impendisti, sed ejus oblationem tibi acceptissimam, in Ecclesiâ tuâ

Digitized by Google

quotidiè renovari, ad ejus fructum in nobis renovandum, voluisti; tribue nobis, quæsumus, tam admirando huic et tam salutari tuæ pietatis mysterio sic attentè, reverenter, et amanter interesse, ut ejus participationem quàm efficacissimè consequi valeamus. Per eumdem Dominum.

Benedictio mensæ pro sæcularibus.

BENEDICITE. *Benedicite.*

Benedic, Domine, nos, et hæc tua dona, quæ de tuâ largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Gratiarum actio post mensam.

BENEDICAMUS Domino. *Deo gratias.*

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster. *Secretò.*
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos à malo.
Sit nomen Domini benedictum
Ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

Oremus.

RETRIBUERE dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. *Amen.*

Digitized by Google

Cùm vadis dormitum, muniens te signo Sanctæ Crucis, dic:

IN nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. *Amen.*

Examen Conscientiæ, puncta quinque complectens.

1. *DOMINO nostro Deo, pro beneficiis acceptis gratiæ agendæ sunt.*

2. *Ab eodem pro cognitione et expulsione peccatorum, gratia efflagitanda est.*

3. *De admissis præsentis diei peccatis, ratio ab animâ nostrâ exigenda est, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando; et primò quidem circa cogitationem, deindè circa loquelam atque operationem.*

4. *Expetenda est venia de delictis.*

5. *Proponenda est, cum Dei gratiâ, emendatio.*

Deindè, junctis manibus: Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæculorum sæcula. Pater noster. Ave Maria. Credo. Confiteor Deo, *&c. ut suprà, pp.* 257, 258.

Hymnus.

TE lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut, pro tuâ clementiâ,
Sis præsul et custodia.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;

Digitized by Google

Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. *Amen.*

Antiphona.

SALVA nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.
Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.
Sub umbrâ alarum tuarum protege nos.
Dignare, Domine, nocte istâ,
Sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine,
Miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos;
Quemadmodum speravimus in te.
Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

VISITA, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab eâ longè repelle. Angeli tui sancti habitent in eâ, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ, hâc nocte illumina, custodi, rege, et guberna. *Amen.*

Digitized by Google

Benedictio.

BENEDICAT et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

ORATIO PRÆPARATORIA

ad Confessionem Sacramentalem.

CONDITOR cœli et terræ, Rex regum, et Dominus dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem et similitudinem tuam, et me proprio tuo sanguine redemisti, quem ego peccator non sum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare; te suppliciter deprecor, et humiliter exoro, ut clementer respicias me servum tuum nequam. Miserere mei, qui misertus fuisti mulieri Chananææ et Mariæ Magdalenæ; qui pepercisti Publicano, et latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor, Pater piissime, peccata mea; quæ si volo abscondere, non possum tibi, Domine. Parce mihi, Christe, quem ego nuper multùm offendi cogitando, loquendo, operando, et omnibus modis, quibus ego fragilis homo et peccator peccare potui, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò, Domine, precor tuam clementiam, qui de cœlo pro meâ salute descendisti, qui David à peccati lapsu erexisti, parce mihi, Domine; parce mihi, Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, et Redemptor

Digitized by Google

meus, Dominus meus, et Salvator meus, Rex meus, et Deus meus. Tu es spes mea, et fiducia mea, gubernatio mea, et auxiliatio mea, consolatio mea, et fortitudo mea, defensio mea, et liberatio mea, vita mea, salus mea, et resurrectio mea, lumen meum, et desiderium meum, adjutorium meum, et patrocinium meum. Te deprecor et rogo, adjuva me, et salvus ero; guberna me, et defende me; conforta me, et consolare me; confirma me, et lætifica me; illumina me, et visita me. Suscita me mortuum, quia factura et opus tuum sum. Domine, ne despicias me, quia famulus et servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus et peccator. Sed qualiscumque sum, sive bonus, sive malus, semper tuus sum. Ad quem ergò fugiam, nisi ad te vadam? Si tu me ejicis, quis me recipiet? Si tu me despicis, quis me aspiciet? Recognosce me ergò indignum ad te refugientem, quamvis sim vilis et immundus; quia si vilis et immundus sum, potes me mundare; si cœcus sum, potes me illuminare; si infirmus sum, potes me sanare; si mortuus et sepultus sum, potes me resuscitare; quia major est misericordia tua, quàm iniquitas mea; major est pietas tua, quàm impietas mea; plus potes dimittere, quàm ego committere; et plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergò despicias, Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum; sed secundùm multitudinem miserationum tuarum miserere mei, et propitius esto

Digitized by Google

mihi, maximo peccatori. Dic animæ meæ, salus tua ego sum; qui dixisti, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Converte me, Domine, ad te, et noli irasci contra me. Deprecor te, clementissime Pater, propter misericordiam tuam; supplico et exoro, ut perducas me ad bonum finem, et ad veram pœnitentiam, puram Confessionem, et dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum. *Amen.*

Oratio ante Confessionem Sacramentalem.

SUSCIPE Confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animæ meæ; et da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrymas oculis meis, ut defleam, diebus ac noctibus, omnes negligentias meas, cum humilitate et puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram? Quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei, Domine, qui Chananæam et Publicanum vocâsti ad pœnitentiam, et Petrum lacrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas. Salvator mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem, invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergò mihi, qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animæ meæ; solve vin-

Digitized by Google

cula ejus, sana vulnera. Domine Jesu, te desidero, te quæro, te volo; ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimæ et immaculatæ semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ et Sanctorum tuorum, lucem tuam et veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet; atque juvet et doceat ipsos plenè et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Oratio post Confessionem.

SIT tibi, Domine, obsecro, meritis beatæ semper Virginis, Genitricis tuæ Mariæ, et omnium Sanctorum, grata et accepta ista Confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et aliàs de sufficientiâ contritionis, de puritate et integritate Confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundùm illam digneris me habere pleniùs et perfectiùs absolutum in cœlo. Qui vivis et regnas.

ORATIO

Ante Sanctam Communionem.

AD mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tuâ confidens misericordiâ et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo

Digitized by Google

multis criminibus maculatum; mentem et linguam non cautè custoditam. Ergò, ô pia Deitas, ô tremenda Majestas, ego miser, inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio; et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergò in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te; miserere mei, pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccâsse; cupio emendare quod feci. Aufer ergò à me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata, ut purificatus mente et corpore, dignè degustare merear Sancta sanctorum; et concede, ut sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio,

Digitized by Google

operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis, contra inimicorum meorum insidias, firmissima tuitio. *Amen.*

Alia Oratio Sancti Thomæ Aquinatis ante Communionem.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri, Jesu Christi. Accedo tanquam infirmus, ad medicum vitæ; immundus, ad fontem misericordiæ; cæcus, ad lumen claritatis æternæ; pauper et egenus, ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergò immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenùs meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tantâ suscipiam reverentiâ et humilitate, tantâ contritione et devotione, tantâ puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis, non solùm suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Mariâ, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in viâ suscipere propono, revelatâ tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum, &c.

Digitized by Google

Oratio Sancti Thomæ Aquinatis post Communionem.

GRATIAS tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quàm invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quàm spiritualium, perfecta quietatio; in te, uno ac vero Deo, firma adhæsio; atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu, cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum, Dominum nostrum. *Amen.*

Alia Oratio Sancti Bonaventuræ post Communionem.

TRANSFIGE, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ, suavissi-

Digitized by Google

mo ac saluberrimo amoris tui vulnere, verâ serenâque et Apostolicâ sanctissimâ charitâte, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat, et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi, et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum; et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domûs Dei; te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat; te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantiâ usque in finem; et tu sis solus, semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. *Amen.*

Digitized by Google

Alia Oratio post Communionem.

INEFFABILEM misericordiam tuam, Domine Jesu Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis et Sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus, beatissima præsentia Corporis et Sanguinis tui sic immutet palatum cordis mei, ut præter te nullam unquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat unquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Digitized by Google

Sylva Orationum Variarum.

Adoratio Sanctissimæ Trinitatis.

TE Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, unum, omnipotentem, sempiternum, atque incommutabilem Deum, Creatorem cœli et terræ, visibiliumque omnium et invisibilium, supplici mente adoro. Te veram et ineffabilem Trinitatem in personis, veram et inseparabilem Unitatem in substantiâ, confiteor. Te laudo fulgidam semperque tranquillam Trinitatem, unicam Deitatem, clementissimum Dominum meum, dulcissimam spem meam, clarissimum lumen meum, optatissimam requiem meam, gaudium meum, vitam meam, et omne bonum meum. Tuæ benignissimæ pietati animam pariter et corpus meum commendo; tuæ sacratissimæ Majestati me totum subdo, tuæque divinæ voluntati in æternum resigno ac trado. Tibi honor et gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

Hymnus Sanctorum Ambrosii et Augustini, in gratiarum actionem dici solitus.

TE Deum laudamus; te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli, et universæ potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim, incessabili voce proclamant:

Digitized by Google

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra Majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensæ Majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in glorià Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergò, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Æternâ fac cum Sanctis tuis in glorià numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine; et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, et extolle illos, usque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserère nostri, Domine; miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos; quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oremus.

DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

In honorem Sancti Spiritus.

Hymnus ut suprà, pag. 16.— *Vel hæc sequentia.*

VENI, Sancte Spiritus,
Et emitte cœlitùs
Lucis tuæ radium.
Veni, Pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.

Digitized by Google

In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. *Amen.*

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
Et renovabis faciem terræ.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapère, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Je-

Digitized by Google

sum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Amen.*

In Adoratione Sanctissimi Sacramenti.

ADORO te, benignissime Jesu. Offero tibi corpus et animam meam, ut facias de me quidquid volueris.

Hymnus Sancti Thomæ Aquinatis.

PANGE lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus,
Ex intactâ Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatûs
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observatâ lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Digitized by Google

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit;
Fitque Sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum,
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui.
Præstet fides supplementum,
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque,
Laus et jubilatio:
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque,
Compar sit laudatio. *Amen.*

Anima Christi, &c. *ut suprà. pag.* 40.—*Oratio.* Deus qui nobis sub Sacramento, &c. *ut suprà. pag.* 207.

Salutatio Beatæ Virginis.

AVE Filia Dei Patris,
Ave Mater Dei Filia,
Ave Sponsa Spiritûs Sancti,
Ave Templum totius Trinitatis.

Planctus Beatæ Mariæ Virginis.

STABAT Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius;

Digitized by Google

Cujus animam gementem,
Contristatam, et dolentem,
Pertransivit gladius.

O quàm tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat, et dolebat,
Et tremebat, cùm videbat,
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo, qui non fieret,
Christi Matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis posset non contristari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum;
Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dùm emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

Digitized by Google

Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.

Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce fac inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus, et accensus,
Per te, Virgo, sim defensus,
In die Judicii.

Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradisi gloria. *Amen.*

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, in cujus passione, secundùm Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis Matris Mariæ doloris gladius pertransivit; concede propitius, ut qui transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum, cruci fideliter adstantium, intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

Oratio ad Beatam Virginem tempore pestis.

STELLA cœli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt,
Diro mortis ulcere.
Gloriosa Stella maris,
Summis digna laudibus,
Nos à peste tuearis,
Et à mundi fraudibus.
Medicina Christiana,
Sanos serva, ægros sana:
Quod non valet vis humana,
Præstet tua gratia. *Amen.*

Dic tertiò.

Audi nos, Maria;
Nam Filius nihil negans te honorat.

Digitized by Google

Salva nos, Messia,
Pro quibus Virgo Mater te orat.

Oremus.

DEUS misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi, et dixisti Angelo percutienti populum tuum: *Sufficit nunc, contine manum tuam;* ob amorem tuum et gloriosæ Matris tuæ, cujus ubera pretiosa contra venenum delictorum nostrorum dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peste et improvisâ morte securi liberemur, et à totius perditionis incursu salvemur, per te, Jesu Christe, Salvator mundi, Rex gloriæ, qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto, vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Pia peccatoris ad Beatam Virginem Oratio.

MEMORARE, ô piissima Virgo Maria, non esse auditum à sæculo quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentiâ, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; obsecrans ut me in filium perpetuum adoptes, et æternæ meæ salutis curam in te suscipias. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia, et exaudi. *Amen.*

Salutatio S. Gertrudis ad B. Virginem.

AVE candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis, rosaque præfulgida

Digitized by Google

cœlicæ amœnitatis, de quâ nasci, et de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit, divinis influxibus animas nostras pasce. *Amen.*

Oratio ad Sanctum Michaëlem.

CÆLESTIS militiæ Princeps, qui gloriosè de hostibus maximis triumphâsti, et Ecclesiam Dei fortiter usque propugnas, Sanctissime Michaël, per quem divina virtus multa et præclara præstitit, atque præstat; veni in adjutorium populo Dei, et militanti Ecclesiæ contra impios, procura victoriam, nosque simul adversus diabolicos insultus, in vitâ et morte, patrocinio tuo defende et subleva. Princeps gloriosissime, Michaël Archangele, esto memor nostri, ut hîc et ubique semper Filium Dei pro nobis preceris.

Oratio ad Angelum Custodem.

O BENIGNISSIME Angele Custos, corporis et animæ meæ tutor et defensor, dux et comes, consiliarie sapientissime, et amice fidelissime, cui commissus sum inde à primo instanti ortûs mei, usque ad ultimam horam vitæ meæ; quantas Deo meo, quòd te mihi Custodem dederit, gratias debeo! Quantam tibi reverentiam, sciens te mihi semper esse præsentem! Quantâ devotione me tibi convenit servire, pro amore, quo semper excubas pro me! Quantam denique habere confidentiam, quòd à latere meo nunquam recedas! Doce me, Angele sancte, rege me, protege

Digitized by Google

me, duc me per semitas tutas ad civitatem Dei; nec permittas, ut præsente te faciam, quod te vel minimùm possit offendere, et quod facere non auderem præsente quocumque principe vel rege terreno. Offer desideria mea Deo meo, offer ipsi gemitus et suspiria mea. Explica illi necessitates et miserias meas; vigila tu, dormiente me; deficientem recrea, cæcutientem illumina; cohibe impetum inimici persequentis me, et in horâ exitûs animæ meæ, libera me ex faucibus draconis infernalis, ut defensus à te pariter et adjutus, migrem ad gloriosum habitaculum tuum, ubi tu gaudeas de me, et ego de gloriâ tuâ, glorificeturque Dominus meus et tuus, in te, et in me, et in omnibus, in omnes sæculorum æternitates. *Amen.*

Ad omnes Angelos.

ANGELI, Archangeli, Throni, et Dominationes, Principatus, et Potestates, Virtutes cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, Sanctique omnes, intercedite pro me nunc, et in horâ mortis meæ.

O benignissime Deus, cujus immensa bonitas et sapientia in omnibus sanctis Angelis tuis mirificè relucet; te rogo suppliciter, ut Angelicis pro me intervenientibus suffragiis, omnia opera mea, èt placatus suscipias, et ad salutem meam provenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

A Sanctis Angelis auxilium quærendum est, et occultis suspiriis, et frequentiâ lacrymarum,

Digitized by Google

ut illi, supereminenti Majestati preces nostras offerant, et gratias referant; quia administratorii Spiritus sunt propter nos, ut hæreditatem capiamus salutis. Bern.

De Sancto Joseph.

VIDETUR hic esse locus subjiciendi aliquid de Sancto Joseph, quem maximè inter omnes Sanctos, colere debemus. Certè Sancta Virgo Theresia, vitæ suæ cap. 6. *hæc habet.* Significare vult Deus omnibus patrocinium sanctissimi Josephi implorantibus, quòd sicut ipse in hoc mundo vivens, factus homo, voluit subditus esse Josepho, et ejus obedire mandatis, ita etiam in cœlis gloriosus existens, nihil ei pro nobis intercedenti neget.

Cæterùm, me judice, optimè eum colet, quisquis studiosè imitabitur, parique cum ipso affectu sentiet, ac dicet, quod ille identidem usurpabat: Utinam vivam, et videam adimpletam voluntatem Dei. *Sancta Brigitta, Revel. lib.* 6. *cap.* 9.

Ne quid tamen hìc desideres, subjicio orationem sequentem, præter ea, quæ habentur, suprà, pag. 219.

Oremus.

OMNIPOTENS et mitissime Deus, qui beatum Joseph justum, filium David, Beatæ Mariæ Virgini, tuæ Matri, Sponsum providisti, et tuum Nutritium elegisti; da, quæ-

Digitized by Google

sumus, ut ejus precibus et meritis, Ecclesia tua tranquillâ pace lætetur, et ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui vivis et regnas, cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

In honorem Sancti Joachim, Patris Beatæ Virginis.

Antiphona.

LAUDEMUS virum gloriosum in generatione suâ, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Potens in terrâ erit semen ejus.

Generatio rectorum benedicetur.

Oremus.

DEUS, qui præ omnibus sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti; concede, quæsumus, ut cujus festa veneramur, ejus quoque perpetuò patrocinia sentiamus. Per eumdem Dominum, &c.

In honorem Sanctæ Annæ, Matris Beatæ Mariæ Virginis.

Antiphona.

MANUM suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et panem otiosa non comedit.

Diffusa est gratia in labiis tuis.

Propterea benedixit te Deus in æternum.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur, concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eumdem Dominum nostrum.

In Nativitate Sancti Joannis Baptistæ.

Antiphona.

PUER, qui natus est nobis, plus quàm Propheta est. Hic est enim de quo Salvator ait: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ.

Iste puer magnus coram Domino.
Nam et manus ejus cum ipso est.

Oremus.

DEUS, qui præsentem diem honorabilem nobis in Beati Joannis Nativitate fecisti; da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum nostrum.

Ad quemvis Apostolum.

INTERCEDE pro nobis, beate N. Christi Apostole, Prædicator veritatis, tuisque precibus obtine, ut Catholicæ Fidei sinceritas, variis et peregrinis doctrinis extinctis, reflorescat; et ego, terminis Apostolicæ prædicationis atque traditionis insistens, ea quæ

Digitized by Google

vocationis meæ congruunt, solicitè præstem; nihilque Christi amore, et Ecclesiæ unitate, in omni vitâ antiquius ducam.

Ad quemvis Martyrem.

O INVICTE Christi Martyr, sancte N. quem non hujus vitæ blandimenta vel terriculamenta, non hostium insidiæ, non tortorum aut suppliciorum vis atque immanitas, à perfecto Christi amore abstrahere potuerunt; precare pro nobis, ut, cùm adversa omnia, tùm nos ipsos et mortem ipsam, Dei amore vincamus, utque Christi calicem exemplo tuo intrepidè bibamus, qui tecum à communi Domino in cœlis cupimus coronari.

Ad quemvis Confessorem.

SANCTE N. gratias ingentes agimus Domino Jesu Christo, qui te inter alios Confessores eximiè sublimavit, multis ut esses exemplo et patrocinio. Tuis precibus apud Deum cupimus adjuvari, ut, cum sanctis Confessoribus, fidem Catholicam, non solùm corde et ore, sed etiam vitâ et opere perfectè confiteamur; utque scientes et facientes Domini voluntatem, in domo ejus, tanquam accensa luminaria, undique splendere, et nomen ejus semper glorificare possimus.

Ad quamvis Virginem, vel aliam Sanctam.

TE, inter alias electa et dilecta Christi Sponsa, Sancta N. rogo, gratiam ut majorem Christo placendi, meamque vocationem

Digitized by Google

complendi impetres mihi; et maximè quidem, ut in verâ Fide, Spe, Charitate, et patientiâ progressus faciam, mundique illecebras et carnis voluptates, sanctæ continentiæ abstinentiæque studio, vincam et supprimam, nihilque Christi jugo suavius et amore charius sentiam, quoad tecum beatâ fruar immortalitate.

ORATIONES VARIÆ PRO NOBIS.

Oratio ad petendas varias virtutes, *quam Sanctus Thomas Aquinas quotidiè recitâsse fertur.*

CONCEDE mihi, quæso, omnipotens et misericors Deus, quæ tibi placita sunt diligenter et ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfectè adimplere. Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum; et quod à me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim, et velim, et da exequi, ut oportet et expedit saluti animæ meæ. Via, quæso, mihi ad te sit tuta, recta, et consummata, non deficiens inter prospera et adversa; ut in illis non extollar, et in istis non deprimar, in prosperis gratias tuas tibi referam, et in adversis servem patientiam. De nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod promovet ad te, vel quod abducit à te. Nulli placere cupiam, vel displicere timeam, nisi tibi. Omnia in charitate da fa-

Digitized by Google

cere; et quod ad cultum tuum non pertinet, pro nihilo reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre, cum devotione. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria propter te, et chara sint omnia tua, et tu, Deus meus, plusquam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te; et tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te. Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam, cum emendationis proposito, dolendo pensare. Fac me, Deus meus, humilem, sine fictione; hilarem, sine dissolutione; tristem, sine dejectione; maturum, sine gravitate; agilem, sine levitate; veracem, sine duplicitate; te timentem, sine corruptione; obedientem, sine contradictione; patientem, sine murmuratione. Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla abs te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio. Da denique tuis hîc pœnis consumi per pœnitentiam, tuis beneficiis uti per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patriâ frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu Sancto, vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Petitiones quotidianæ Sancti Augustini.

DOMINE Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam, nisi te;
Ut oderim me, et amem te,
Quidquid agam, propter te.

Digitized by Google

Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem, nisi te.
Mortificem me, et vivam in te;
Quæcumque veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te;
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te;
Dignus sim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te;
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, confidam in te;
Obedire velim propter te.
In nullo afficiar, nisi in te;
Sim pauper, propter te.
Aspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te;
Et in æternum fruar te,
Ac fruendo possideam te.

Oratio pro quâlibet re à Deo postulandâ.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, en ego peccator (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quòd te clementissimum Patrem meum, supremum Deum, peccatis meis unquam offenderim) cum filiali fiduciâ infinitam Majestatem tuam supplex accedo. Nè, quæso, me, quem infinitâ potentiâ tuâ ex nihilo creâsti, summo amore in filium et hæredem cœlestis gloriæ adoptâsti, immensâ bonitate, morte unigeniti et æterni Filii tui, ab æternâ damnatione libe-

Digitized by Google

râsti; nè, obsecro, me, cui hæc omnia, licet indignissimo, præstitisti, à facie tuâ repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, quâ gravissimos etiam peccatores, verè contritos, totiès ex abysso omnium scelerum extraxisti, per merita dulcissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, per ardentissimam Spiritûs Sancti charitatem, quâ te Patrem cum Filio complectitur, per sanctissimam Virginem Mariam, à te in Filiam, à Filio in Matrem, à Spiritu Sancto in Sponsam, ab æterno electam et præordinatam, per omnium denique Angelorum et Sanctorum merita ac laudes, suppliciter oro, ut miserearis mei, tuamque ad preces meas aurem inclines. O clementissime Pater, aperi thesauros inexhaustæ bonitatis tuæ, meque infinitæ liberalitatis tuæ fac esse participem. Hoc peto.—*Hîc aut mente, aut tuis verbis, tibi vel aliis aliquid dari à Deo, vel ab aliquo malo liberari pete.* Converte, quæso, Domine, benignitatis tuæ mitissimos oculos ad me, licet indignissimam creaturam tuam, et esto propitius supplicationibus meis. Iterum te, Domine Deus, per omnia, quæ in cœlo et in terrâ tibi chara sunt, suppliciter oro, ut quod peto benignè mihi largiaris.

Si quod petis, per se bonum ac pium sit, hîc finienda est oratio; si verò indifferens, hoc est, neque bonum neque malum, (qualis est prospera valetudo, scientia, bonorum aut famæ recuperatio, pax, secunda fortuna, &c.) adde quod sequitur.—Per eamdem bonitatem, ac

Digitized by Google

clementiam tuam, ô Deus, humiliter oro, ut, si quod peto voluntati tuæ adversetur, ne id mihi largiaris. Unicè volo, mi Deus, quod tu vis ; et quod tu non vis, id ego unicè nolo. Scio, ô Bonitas, scio, id mihi solùm obesse, quod tibi non placet ; omne verò bonum meum in tuo esse beneplacito. Non ergò mea, Domine, non mea, sed tua in omnibus sanctissima voluntas fiat. *Amen.*

Orationes pro tuenda Castitate.

Protestatio et propositum retinendæ castæ mentis.

EGO N. coram castissimâ Virgine Mariâ, Angelo Custode, et totâ curiâ cœlesti, tibi, Deus cordis mei, quem ubique præsentem agnosco, et sanctè veneror, me sisto ; ac protestor me nolle consentire, non modò facinori committendo, sed ne cogitando quidem, quantumvis adversarii vim inferant. Detestor et execror omnes istas fœditates ac spurcitias. Frustrà agis, sordide tentator, dæmon spurcissime ; malo enim dehiscat terra, castoque mihi mille reseret inferos, quàm ut turpi delectationi, vel ad momentum, consentiam. Ita decretum, ita constitutum est. Adeste, ô Maria, ô Angele, ô Patroni castitatis meæ ; tuque voluntatem hanc meam confirma, ô bone Jesu, quod ut facias, per sanguinem tuum supplex rogo. *Amen.*

Digitized by Google

In tentatione carnis.

1. *STATIM mentem aliò averte.*

2. *Si perdurat cogitatio,* Jesum *ac* Mariam *invoca.*

3. *Dolorem acutum carni inflige.*

4. *Si tentatio est importunior, imaginare sub pedibus tuis laxari inferos, et cogita fide esse certum, aut pœnitendum, si deliqueris, aut ardendum.*

5. *Repræsenta tibi Christum, à capite ad calcem plagis cruentum, te alloquentem:* Fili, mitte cogitationem illam. O homo, nonne satis propter te vulneratus sum? Siquidem tam vile tibi sit cœlum meum, tam pro nihilo sint inferorum supplicia, at non tam vilis tibi sit sanguis meus et amor meus.

6. *Sicut cogitationes istæ vocantur immundæ et sordidæ, ita lutum sunt ac cœnum, facilè si insistis, inquinant; quamobrem,* tanquam à facie colubri, *pravarum cogitationum occasionem omnem fuge. Fuge:* Securius enim est perire non posse, quàm juxta periculum non periisse. *Hieronymus.*

Pii gemitus tempore tentationis.

QUOMODO possum facere malum hoc? Amo te, Deus meus, et amabo te super omnia in æternum. Dehiscat mihi antè tellus absorbens me, quàm ut offendam te. Malo mori, millies malo mori, quàm peccare.

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psal.* l.

Digitized by Google

Dic animæ meæ, Domine, salus tua ego sum.

Jesu castissime, de animæ meæ salute agitur; custodi me, nè peream.

Ne sinas, quæso, sanctissima Mater et Virgo Maria, ut tam immani scelere me obstringam!

Si fædè lapsus sis, statim te Deo reconcilia per actum Contritionis, hoc aut simili modo.

AH! quid feci? Deum summum illud bonum offendi! Heu miserum me! Quò me convertam, quò fugiam à facie Domini? Non sum dignus intueri altitudinem cœli, qui te Creatorem meum, te Redemptorem meum, te Sanctificatorem meum, tam fœdo, tam gravi scelere offendi. Quanta, proh! mea hæc insania! Quanta malitia! Quid faciam miser? Tuâ clementiâ fretus, ad te, Pater misericordiarum, dolens et gemens peccator recurro, et veniam delicti humiliter imploro. *Pater, peccavi in cœlum, et coram te.* Ignosce, precor, ignosce, per infinitam bonitatem tuam, quidquid nunc et aliàs peccavi. Non ampliùs, Domine, non ampliùs insana illa peccandi libido me ab amore tui divellet. Adsis mihi, ô Deus cordis mei! Priùs mihi contingat mori, quàm offendere te! Polliceor omnia me proximâ occasione confessurum, tuisque in posterum legibus obtemperaturum.

Impietas impii non nocebit ei, in quâcunque die conversus fuerit ab impietate suâ. Ezech. xxxiii. 12.

Digitized by Google

Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, et vivite. Ezech. xviii. 32.

Oratio ad Sanctum Aloysium, *qui ob animi et corporis puritatem dictus est* Angelicus.

O SANCTE Aloysi angelice, ego, humillimus cliens tuus, animi et corporis mei castitatem singulariter tibi commendo, et rogo te, angelicam per puritatem tuam, ut me Jesu Christo, Agno immaculato, ejusque Matri Virginum Virgini, commendare digneris, et ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas me unquam ullâ impuritatis labe fœdari, sed cùm primùm in tentatione et peccandi periculo constitutum me videris, abige procul à corde meo cogitationes et affectus omnes immundos, et injectâ memoriâ æternitatis et Christi crucifixi, imprime mihi medullitùs sensum timoris Domini, et divini amoris in me ignem accende.

Hæc Oratio potest etiam dirigi ad Angelum Custodem, in hæc verba. O Sancte Angele Dei, qui Custos es mei, ego humillimus cliens. *&c.*

Oratio in quâvis afflictione corporis et animi.

O CLEMENTISSIME Deus, memor esto, quæso, benignèque considera, me pauperem et infirmam creaturam tuam esse, te verò Dominum et Creatorem meum. Ecce in manu tuâ sum; si vis, potes me, vel solo nutu, juvare. Sed, ô Domine, æquissimum

Digitized by Google

judicium tuum. Me illi offero, et sanctissimæ voluntati tuæ integrè me resigno; paratus hanc, et aliam quamvis afflictionem, quamdiù tibi placuerit, sustinere, atque ipsam etiam mortem, si ita tibi visum fuerit, subire. Utere me sicut vis, in tempore et æternitate; quidquid, tu Pater cœlestis in me et de me facere decreveris, facito. Nam ad omnia, quâ possum humilitate, me totum tibi offero, trado, et resigno. Libenter patiar pro te, quidquid super me venire volueris, dummodò mihi tuam simul gratiam largiaris, quâ omnia patienter et constanter feram. Custodi me solùm, ô Deus, ab omni peccato, et non timebo mortem nec infernum. Hæc summa, ô amantissime Pater, mihi crux est, quòd te, quem amo super omnia, unquam offenderim. Cupio, Domine, hâc meâ afflictione pro peccatis meis satisfieri, tuamque mihi gratiam reconciliari, pro quâ non patienter solùm, verùm etiam libenter, hæc et quævis alia mala sustinerem. O Domine, hoc ante omnia peto, ut dimittas peccata mea, tuamque mihi gratiam largiaris, ut te, Deum, summum bonum meum, cum omnibus Angelis et electis tuis, dignè amare et laudare merear, nunc et in æternum. *Amen.*

Oratio recitanda tempore cujuscumque publicæ calamitatis.

OMNIPOTENS, æterne Deus, refugium, virtus, et salus tuorum fidelium, non se-

Digitized by Google

cundùm peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundùm iniquitates nostras, retribuas nobis; sed quæ flagella justæ indignationis tuæ meremur et patimur, ea propter nominis tui gloriam à cervicibus nostris clementer averte. Bellum igitur, *vel* famem, *vel* pestilentiam, *vel* morbos, *vel* aëris intemperiem, *vel* imbrium inundantiam, *vel* nimiam terræ siccitatem, aut sterilitatem, *vel* grandinem, *vel* fulgura et tempestates, *vel quamcumque aliam calamitatem, &c.* pro tuâ ingenti bonitate depelle, aut certè bonâ ex parte nobis mitiga. Tuâ benedictione paternâ nitimur; à te opem, qui auxiliator es in tribulatione, petimus, et speramus. Tantùm ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Igitur adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, libera nos; et peccatis nostris esto propitius, ut corpore et animo salvi, tibi omnium fonti bonorum, et deindè proximo nostro expeditiùs inserviamus, cùm à præsentibus periculis, et perniciosis vitæ hujus ærumnis, tua nos gratia liberaverit. Non enim delectaris in perditione nostrâ; quin et post tempestatem, tranquillum facis, et post lacrymas et fletum, exultationem infundis. Benedic, Domine, populo tuo, nostraque tempora fidelibus tuis tranquilla et prospera esse concede. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Si plures calamitates cupias averti, plures enumera; si omnes, omnes.

Digitized by Google

Oratio pro Regibus, Principibus, et Magistratibus politicis.

OMNIPOTENS, æterne Deus, Rex regum, et Domine dominantium, in cujus manu sunt omnium potestates et omnium jura regnorum atque Magistratuum politicorum, tibi laus, honor, et gloria, qui Reges, Principes, et civiles Magistratus, non solùm instituis, sed etiam usque conservas, ad felicem reipublicæ Christianæ gubernationem, ad bonorum tutelam, ad malorum terrorem, atque ad publicam pacem ac tranquillitatem populi conservandam atque administrandam. Et quoniam in manu tuâ sunt corda Principum, gratiam illis tuam impertias, ut sint quales tu esse postulas, justitiæ amatores, incorrupti judices, legum custodes, pauperum et viduarum patroni atque defensores, ac in primis Catholicæ fidei sinceri vindices, qui contra improbos et reipublicæ pestes jure gladii, sibi commisso, convenienter utantur. Præstent illi, Domine, cum timore tuo, officium suum, ut verè sint sui et justitiæ administri, et nos sub illorum imperio quietè ac securè vivamus, tibique castè, piè, ac fideliter serviamus.

Oratio pro Parentibus, Benefactoribus, Amicis, Magistris.

EXIMIA est benignitas tua, clementissime Deus, quòd per Patrem, Matrem, Benefactores, Amicos, et Magistros, tam

Digitized by Google

multa nobis et necessaria vitæ commoda providere, nec solùm corpori, sed etiam animo congruentia beneficia dispensare digneris. Da nobis veniam, quæso, quòd collata illorum in nos merita, non quo par est gratitudinis et observantiæ officio, prosequamur, quòdque legitimè illos per omnia non honoremus.

Tuam verò pietatem rogamus, ut Parentibus, Benefactoribus, Amicis, et Magistris posthâc plus deferamus, majoremque reverentiam et obedientiam illis, clàm et palàm, dictis ac factis, præstemus. Et quoniam dignam illorum meritis gratiam rependere penes nos non est, tua bonitas inopiam nostram suppleat, ac æternis præmiis, quod illis debemus compensare dignetur.

Oratio pro Amico singulari.

CUSTODI, Domine, hunc famulum tuum N, pro quo Majestati tuæ supplicamus, ut in Catholicâ fide constans maneat, ac vitæ hujus pericula illæsus pertranseat, nullisque tentationibus à te summo bono unquam separetur. Remittantur illi, quæso, peccata, si quibus tuam fortassis iram promeruit; augeatur in eo justitia, tibi, majoribus, et proximo exhibenda. Vocationi suæ, in quâ degit, probè satisfaciat, æquè in prosperis atque in adversis rebus sese moderatè gerat, atque finem vitæ felicem, te duce, consequatur. Illius animam et corpus, vitam et mortem, divinæ tuæ gratiæ magnoperè commendamus, ut benedic-

Digitized by Google

tionis tuæ virtute, in viis omnibus dirigatur, et contra insidias hostium animæ et corporis defendatur.

Oratio pro inimicis, æmulis, obtrectatoribus.

MITISSIME Domine, Jesu Christe, qui nostros inimicos et calumniatores à nobis diligi, nostrasque preces pro persequentibus et offendentibus præcepisti, imò qui et ipse pro capitalibus tuis hostibus in cruce precatus es; auge nobis, quæso, Christianæ mansuetudinis et lenitatis spiritum, per quem cunctis ex animo quasvis condonemus offensas, et cum hostibus in gratiam redeamus, omnemque hominum malevolentiam et injuriam, verâ patientiâ et fraternæ dilectionis officio, superemus. Tum inimicis nostris veram pacem et charitatem à te dari petimus, ut integram peccatorum suorum veniam accipiant, utque non sine verâ fide ac pœnitentiâ ex hâc vitâ decedant. Nos verò clementer juvari petimus, ut malum in bono vincamus, nec solùm à visibilium, sed etiam invisibilium hostium insidiis, perturbationibus, et periculis servemur illæsi.

Oratio pro adversariis Ecclesiæ Catholicæ.

DEUS Christianæ pacis charitatisque auctor, amator, et custos, qui per Filium tuum, unitatem Ecclesiæ maximè commendâsti, eamque inviolabilem inter fideles manere sanxisti, potenter conserva, et defende nos adversùs Ecclesiasticæ pacis et unitatis

Digitized by Google

perturbatores ac hostes, sive occultos sive manifestos. Miserere omnium, obsecro, qui ab ejusdem Ecclesiæ unitate se ipsi segregârunt, novis sectis addicti, aut pestiferis seducti erroribus, vel qui ex contemptu Ecclesiæ Catholicæ, nova spargunt ac tuentur dogmata. Ignosce illis, Domine, quia nesciunt quid faciunt; aut, si sciunt, non satis tamen expendunt secum, quod quantumque sit scelus, te, caput Ecclesiæ, in membris et præpositis persequi, et à corpore tuo, quod est Ecclesia, per nefarium schisma seipsos præscindere, tuamque inconsutilem tunicam sacrilegè lacerare. Horum igitur oculos, errorum et schismatis tenebris obcæcatos, tu, qui vera lux es mentium, clementer illustra, ut seipsos videant, ac videndo resipiscant, tibique summo Pastori et ovili tuo, extra quod nulli salus esse potest, per Ecclesiæ claves reconcilientur. In tuâ potestate situm est, ut è Saulis, Pauli; ex incredulis, Thomæ; ex errantibus, Augustini efficiantur; et verè conversi, Catholicam fidem constanter prædicent, nomenque tuum sanctum, cum salute multorum, glorificent. Fiat, fiat.

Oratio Sancti Francisci Xaverii pro conversione gentilium, hæreticorum, et peccatorum.

ÆTERNE rerum omnium effector Deus, memento abs te animas *infidelium, hæreticorum, et peccatorum* procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas.

Digitized by Google

Ecce, Domine, in opprobrium tuum, his ipsis infernus impletur. Memento Jesum, dilectum Filium tuum, pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quæso, Domine, ultrà permittere, ut Filius tuus, ab *infidelibus, hæreticis, peccatoribus* contemnatur; sed precibus sanctorum virorum, et Ecclesiæ sanctissimæ Filii tui sponsæ, placatus, recordare misericordiæ tuæ, et oblitus *idololatriæ, infidelitatis, contumaciæ, et malitiæ* eorum, effice ut ipsi quoque *agnoscant, timeant, ac diligant* aliquando quem misisti Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita, et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Oratio pro afflictis, pauperibus, et miseris ad extremam ferè calamitatem redactis.

DEUS, refugium pauperum, fortitudo laborantium, et præpotens lugentium consolator, immensæ misericordiæ tuæ commendamus inopes et calamitosos, ubicumque gentium degant, quorum numerum, angustias, et ærumnas ineffabiles tu solus agnoscis et perspicis; et quoniam pater desolatorum existis, ne [despicias, quæso, gemitus, lacrymas, clamores, dolores, angores, desideria tot pupillorum, orphanorum, viduarum, captivorum, exulum, peregrinorum, qui, sivè justè sivè injustè, maximis calamitatibus objiciuntur, adeòque cum morte acerbâ conflictantur. Respice, Pater misericordiarum, hanc familiam miserrimam,

Digitized by Google

in quâ tui fideles morbis, peste, fame, bello, clade, igne, aquâ, fulmine, carceribus, naufragiis, suppliciis, aliisque modis gravissimè discruciantur. Parce illis, Domine, quia tempus miserendi venit; aperi illis viscera misericordiæ tuæ, qui te, invocantibus Israëlitis ac aliis, tam multa non solùm promittere, sed etiam liberaliter offerre, et præter omne meritum sæpè donare dignatus es. Justitia tua convertatur in clementiam, ut ubi abundavit peccatum, illic abundet et gratia, per Jesum Christum, Filium tuum, pro peccatoribus traditum, flagellatum, illusum, crucifixum, et mortuum, verumque Pontificem, qui suorum infirmitatibus vult et potest compati. Nec potest horum injustitia tam esse fœda et abominabilis, quàm decora et grata fuit apud te Filii tui justitia. Illius humilis obedientia longè vicit superbam inobedientiam nostram; ejusdem in perferendis doloribus patientia, omnem obscœnam et criminosam humanarum voluptatum concupiscentiam superavit. Respice igitur, Pater æterne, calamitosos, pro quibus intercedimus; et quorum animas Filius tuus suo ipsius sanguine sibi comparavit, iis in corpore et animo propitius esse dignare. Famem illorum gravem depelle, et pestem, bellum, ac hostilem impetum tolle; vincula dissolve, carceres aperi; errantes in viam redeant; exules patriæ, infirmi sanitati, navigantes portui suo restituantur. Partem suam cum latrone illo habeant, qui tametsi serò pœnitentiam ageret,

Digitized by Google

tamen Filium tuum habuit consolatorem, ab eo etiam Paradisi gaudiis exhilaratus. Tu patre Abraham clementior, Lazaros in paternum sinum accipe, et in cruce ipsâ consolare, ut misericordiæ tuæ præsidiis adjuti, adversa cuncta propter te leviùs et constantiùs ferant, tuamque præsentem opem et consolationem angelicam, cùm sæpè aliàs, tùm in morte ipsâ experiantur.

Oratio pro ægroto.

DEUS, humanæ infirmitatis præsidium ac restaurator, sub cujus nutibus cuncta vitæ nostræ momenta decurrunt, ægroto ac infirmo famulo tuo N. cujus vitæ metuimus, misericordiæ tuæ veræque salutis opem supplices imploramus. Agnoscat ille se virgâ paternâ visitari et corripi. Tuæ bonitati et providentiæ fidenter sese committat, nec minùs animi quàm corporis incolumitatem quærat et amet. Eventum omnem de manibus tuis pendere cognoscat. Crucem hanc abs te impositam sciat, quæ ut sit salutaris, auge illi patientiæ donum, ut in morbo sine pusillanimitate, impatientiâ, murmuratione versetur. Quare infirmitas præsens ad tuam illi gloriam proficiat, eumque adferat fructum, ut virtutem tuam expertus, posthoc te magis metuat, colat, amet ac laudet. Quod si expedit illum convalescere, tu media necessaria eidem provideantur concede, ut sanitati restitutus, majores in justitiâ progressus facere velit et possit. Si verò

Digitized by Google

illum de hoc mundo vocare statuisti, fiat, Pater, voluntas tua; simulque præsta virtutem, quæ illum ad extremum vitæ spatium ritè disponat ac præparet. Non ex timore, sed amore, tibi ac Ecclesiæ reconcilietur, maturè Sacramentis utatur, eorumque virtutem percipiat; patientiâ duce, dolores propter te superet, contra hostes ac tentationes omnes pugnet fortiter, tuum adventum excipiat vigilanter, et in pace sanctâ demùm obdormiens, ad te summum æternumque bonum rectè proficiscatur.

Oratio pro agonizante.

DEUS misericordiæ, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas veniâ remissionis evacuas, respice propitius super hunc famulum tuum, et remissionem ipsi omnium peccatorum suorum totâ cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus, et non habentem fiduciam nisi in tuâ misericordiâ, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte.

Digitized by Google

Preces pro Fidelibus Defunctis.

Psalmus l. Miserere mei, Deus, *&c. ut suprà. pag.* 288.—*Psalmus* cxxix. De profundis clamavi ad te, Domine, *&c. ut suprà. pag.* 242.

Requiem æternam dona eis, Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

Oremus.

FIDELIUM, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

Pro uno jam Defuncto.

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, summam tuam clementiam suppliciter rogamus pro salute famuli tui N. defuncti, ut ejus anima, vitæ mortalis vinculis jam absoluta, etiam omni vitiorum careat impuritate. Non illum terreant et infestent dæmones maligni, sed sancti Angeli recreent atque custodiant. A tenebris ad lucem, à labore ad requiem, à pœnis ad gaudia nunquam finienda transeat; neque solùm Sanctorum tuorum intercessione, sed et felici eorum in cœlo contubernio gaudeat. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Digitized by Google

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. ut sæculo defunctus, tibi vivat; et quas vitæ labes per fragilitatem humanæ conversationis contraxit, et ante mortem non diluit, eas tu, veniâ misericordissimæ pietatis, quàm primùm abstergas, purus ut ejus spiritus ad regnum tuum perveniat, in quod non intrabit aliquid coinquinatum.

Hic recita 5 Pater noster *et* Ave Maria, *ut defuncti anima, virtute passionis mortisque Christi, ab omni culpâ et pœnâ perfectè expurgetur.*

Subvenite, Sancti Dei; occurrite, Angeli Domini, animam ejus suscipientes, et in conspectum Altissimi offerentes, ut in sinum Abrahæ perducatur.

Liberet te N. à tenebris lux vera, Christus, pro te crucifixus, mortuus, et resuscitatus; teque ovem suam Pastor bonus ad æternæ vitæ pascua transferat.

Ab omnibus te peccatis et pœnis absolvat, qui magno te pretio sui sanguinis redemit, utpotè vitæ ac mortis Dominus. Ad suam dexteram te collocet supremus Judex, ut partem habeas in sorte Sanctorum, et Redemptorem tuum, in quem desiderant Angeli prospicere, facie ad faciem in decore suo perpetuò contempleris; talique liberatori gratias in cœlo, cum Sanctis omnibus, lætè decantes, ac illi perfectè placeas in regione vivorum.

Digitized by Google

Preces ad Felicem Mortem implorandam.

Oratio admissionis in Congregationem de Bonâ Morte, quotidiè recitanda.

DOMINE Jesu Christe, qui te æterno Patri, pro peccatis meis, in arâ crucis immolâsti; en ego N. N. licet indignissimus, de tuis tamen meritis confisus, me tibi crucifixo et cum morte luctanti pariter immolo, tuisque obsequiis in hâc associatione me perpetuò mancipo. Imprime cordi meo gratam et frequentem tuæ passionis et agoniæ memoriam, ut mei oblitus mihimetipsi moriar, et tu, Jesu, vita animæ meæ, solus vivas in me. Sim, obsecro, pie Redemptor, tibi patienti semper conformis; in dolore patiens, in opprobriis humilis, in expoliatione contentus, in derelictione mei perfectè subditus, ut nullâ tentationum vi à te Deo cordis mei unquam divellar. Cùmque, morte adveniente, jubebis me debitum naturæ persolvere, absconde me intra tua vulnera, et ab hostium me tuere insidiis; ut elutis, verâ cordis contritione et Sacramentorum susceptione, peccatorum maculis, de dæmone et morte merear, tecum et per te, triumphare. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, &c.

O beatissima Virgo et Mater, quæ in monte Calvariæ pretium animæ meæ vidisti, per illum doloris gladium, qui tuam tunc animam pertransivit, suppliciter peto, ut me toto vitæ decursu tuo patrocinio foveas; et in tremendâ mortis horâ precibus juves, præsentiâ soleris,

Digitized by Google

ac contra dæmonum incursus tuearis, ut feliciter obiens Filium tuum tecum in æternum laudare merear. *Amen.*

Ad Sanctum Josephum sponsum Beatæ Virginis.

Oratio.

AVE, sanctissime patriarcha Joseph, deiparæ Virginis sponse virginee, quem Filius Dei patrem suum vocabat. Tu dignus fuisti parvulum Verbum incarnatum intueri, audire, amplecti, deosculari. Tu singularis in privilegio dulcissimæ sanctæ conversationis cum Jesu et Mariâ. Sancte Joseph, qui è castissimo corpore animam immaculatam inter Jesu et Mariæ brachia expirâsti, nobis in mortis agone assistas, potentissime defensor; et sicut sanctitate et glorià præstas inter cœlites, ita nobis sanctam impetres vitam et gloriosam æternitatem. *Amen.*

Ad Sanctam Barbaram.

Oratio.

O BEATA Virgo et Martyr, cui datum est nobis in articulo mortis opitulari, et omnes ad te piè confugientes defendere, fovere, et à malâ morte per Sacramentorum susceptionem prohibere, intercede pro nobis ad Dominum, ut per sanctam vitam et beatam mortem digni efficiamur promissionibus Christi.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, beatæ Barbaræ, Virginis et Martyris tuæ, ab omni adversitate protegat, ut, per ejus interventum,

Digitized by Google

sacrosanctum corporis Filii tui viaticum ante diem obitûs nostri, cum verâ cordis contritione et integrâ peccatorum confessione percipere mereamur.

Alia Oratio in eumdem finem

MORITURUM me certò scio. At quando, ubi, quomodo, prorsùs ignoro.

Terra sum, et in pulverem et terram convertetur caro mea.

Immortalis sum animo et spiritu, et ibo carne solutus in domum æternitatis meæ. O æternitas interminabilis! ô mortis ultimum punctum, à quo pendet æterna æternitas!

Tu solus vitæ meæ Dominus et Deus es. Vivere et hodiè non recuso; sed vitam nolo, si tibi et tuis obsequiis vitam meam omnem non impendam. Si me mori vel hodiè jubes, mortem non recuso; moriar, ut te videam, moriar tecum, ut in æternum vivam. Ah fiat in me, de me, circa me, et circa mea omnia, sanctissima voluntas tua, in tempore et in æternitate.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid de me vis fieri? Resignationibus nostris, quæsumus, Domine, placare susceptis; et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

Doleo, et toto corde doleo, quòd te offenderim Deum meum; quia bonus es, sanctus es, amor meus es, Deus meus es.

Digitized by Google

Absorbeat, quæso, Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui ab omnibus, ab omnibus, ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es, Deus factus homo, vivere et mori.

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in cruce, maximè in illâ horâ quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, et perduc eam in vitam æternam.

✠

LIBERA nos, Domine, à subitaneâ et improvisâ morte.
Libera nos, Domine, morientes à malâ morte.
Libera nos, Domine, morientes ab omni peccato.
Libera nos, Domine, morientes ab insidiis diaboli.
Libera nos, Domine, morientes ab omni terrore et formidine.
Libera nos, Domine, morientes à diffidentiâ et desperationis tentatione.
Libera nos, Domine, morientes à spiritu præsumptionis.
Libera nos, Domine, morientes à cordis duritie.
Libera nos, Domine, morientes ab irâ tuâ.
Libera nos, Domine, morientes à potestate diaboli.

Secundùm magnam misericordiam tuam.

Digitized by Google

Libera nos, Domine, morientes à pœnis inferni.

Libera nos, Domine, morientes ab omni mundi, sanguinis, et carnis illecebrâ.

✠

Concede nobis, Domine, morientibus susceptionem Sacramentorum.

Concede nobis, Domine, morientibus abundantiam divinæ gratiæ.

Concede nobis, Domine, morientibus perfectam contritionem.

Concede nobis, Domine, morientibus firmam spem et certissimam fidem.

Concede nobis, Domine, morientibus ardentem charitatem.

Concede nobis, Domine, morientibus patientiam et tolerantiam inter dolores.

Concede nobis, Domine, morientibus fortitudinem contra diabolicos incursus.

Concede nobis, Domine, morientibus perfectam cum tuâ voluntate conformitatem.

Concede nobis, Domine, morientibus protectionem Beatæ Mariæ semper Virginis, Angelorum custodiam, et Sanctorum omnium intercessionem.

Concede nobis, Domine, morientibus Sacerdotum orationes et auxilium.

Secundùm magnam misericordiam tuam.

✠

Digitized by Google

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, per sanctam Incarnationem tuam,
Per sanctam Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum
Per sanctam et laboriosam vitam tuam,
Per famem, sitim, et vigilias tuas,
Per exclamationes et suspiria tua,
Per amarissimas lacrymas tuas,
Per maximos cordis tui pavores et dolores,
Per sanguineum sudorem tuum,
Per manuum tuarum colligationes,
Per opprobria, alapas, et ludibria tua,
Per acerbissimas flagellorum plagas,
Per spineam coronam tuam,
Per sacratissimas sanguinis effusiones,
Per sanctam Crucem et Passionem tuam,
Per fel et acetum à te gustatum,
Per quinque vulnera tua,
Per sanctam agoniam tuam,
Per animam tuam sanctissimam in manus Patris commendatam, et pro redemptione mundi à corpore separatam,
Per mortem et sepulturam tuam,

Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

✠

Pater de cœlis, Deus, *Moriatur anima mea morte justorum.*
Fili Redemptor mundi, Deus, *Moriatur anima mea morte justorum.*
Spiritus Sancte, Deus, *Moriatur anima mea morte justorum.*
Sancta Trinitas, unus Deus, *Moriatur anima mea morte justorum.*

Digitized by Google

Per viscera misericordiæ tuæ,
Per merita et intercessionem Virginis et Matris Mariæ,
Per intercessionem sanctorum Angelorum et Archangelorum,
Per merita et intercessionem sanctorum Apostolorum et Evangelistarum.
Per merita et intercessionem sanctorum et sanctarum Martyrum.
Per merita et intercessionem sanctorum Doctorum.
Per merita sanctorum Monachorum et Eremitarum.
Per merita et intercessionem sanctorum Sacerdotum et Levitarum.
Per merita et intercessionem sanctarum Virginum et Viduarum.

Moriatur anima mea morte justorum.

SANCTE Michaël Archangele, Angeli nostri Custodes, et omnes sancti beatorum Spirituum ordines, et vos beatissimi Patroni nostri N. N. N. N. N. defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Tuque, ô Maria, Mater et Virgo, Mater admirabilis, consolatrix afflictorum, et Regina Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut spiritus noster, absque ullâ peccati maculâ et pœnæ reatu, mereatur à sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci. *Amen. Amen. Amen.*

Digitized by Google

Oratio Universalis,

Ad omnia salutem spectantia.

CREDO, Domine, sed credam firmiùs. Spero, Domine, sed sperem securiùs. Amo, Domine, sed amem ardentiùs. Doleo, Domine, sed doleam vehementiùs.

Adoro te, ut primum principium; desidero, ut finem ultimum; laudo, ut benefactorem perpetuum; invoco, ut defensorem propitium.

Tuâ me sapientiâ dirige, justitiâ contine, clementiâ solare, potentiâ protege.

Offero tibi, Deus meus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundùm te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiù vis.

Oro, Domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

Defleam præteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Digitized by Google

Fac, Domine, sim in oratione attentus, in epulo sobrius, in munere sedulus, in propositis firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assiduè invigilem naturæ domandæ, gratiæ fovendæ, legi servandæ, saluti promerendæ.

Discam à te, quàm tenue sit, quod terrenum; quàm grande, quod divinum; quàm breve, quod temporaneum; quàm durabile, quod æternum.

Da mortem præveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, Paradisum obtineam; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1 Tim. iv.

Novem Chori Angelorum

indies colendi, cum Sanctis præsentis diei, in sequenti oratione.

Die Dominicâ	Seraphini.
	Cherubini.
	Throni.
Fer. II	Dominationes.
Fer. III	Principatus.
Fer. IV	Potestates.
Fer. V	Virtutes.
Fer. VI	Archangeli.
Sabbato	Angeli.

Digitized by Google

Oratio ad Sanctos præsentis diei.

GLORIOSISSIME NN. chore, et vos omnes cœlites, quos ubîvis terrarum sancta hodiè colit Ecclesia, gaudeo, et vobis ex animo gratulor æternam illam, quâ nunc in cœlo fruimini felicitatem; oroque et obsecro, ut inter cœlestia illa gaudia mearum miseriarum non sitis immemores. Ecce corpus meum et animam meam vestræ hodiè fidei tutelæque commendo, vosque in hujus et omnium vitæ meæ dierum Patronos et advocatos eligo. Accipite me igitur, per Jesu Christi amorem, ab hoc momento in perpetuam vestram fidem ac custodiam; et, cùm securi jam sitis de vestrâ felicitate, de meâ estote soliciti. Me, atque omnia mea solatia, et afflictiones, cogitationes, verba, et opera totius vitæ meæ, *ad majorem Dei gloriam* dirigite; et quando mihi ex hâc vitâ discedendum erit, me in beatam vestram societatem læti suscipite. *Amen.*

✠

BENEDIC mihi, piissime Jesu, cum Patre et almo Spiritu. Benedic mihi, piissima Virgo Maria, cum Angelo Custode, Patronis, atque omnibus Angelis et Sanctis Dei; præcipuè quorum reliquiæ aut imagines hîc sunt. In nomine ✠ ✠ ✠.

Digitized by Google

MODUS INSERVIENDI SACRO.

Sacerdos.

IN nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. *Amen.*

Introibo ad altare Dei.

Minister. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sanctâ; ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea; quare me repulisti? Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei; ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in citharâ, Deus, Deus meus. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultûs mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Digitized by Google

M. Qui fecit cœlum et terram.

S. Confiteor Deo, *&c.* Ideo precor, *&c.*

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi, Pater; quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri, *&c.*

M. Amen.

S. Indulgentiam, *&c.* tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus, tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

Ante Epistolam.

S. Kyrie eleïson.
M. Kyrie eleïson.
S. Kyrie eleïson.
M. Christe eleïson.
S. Christe eleïson.
M. Christe eleïson.
S. Kyrie eleïson.
M. Kyrie eleïson.
S. Kyrie eleïson.

Quando post Kyrie *Sacerdos dicit.*

Flectamus genua.
M. *Resp.* Levate.
S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Per omnia sæcula sæculorum.
M. Amen.

In fine Epistolæ respondet.

M. Deo gratias.

Ad Evangelium.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Sequentia (*vel* Initium) sancti Evangelii secundùm Matthæum, (Joannem, &c.)
M. Gloria tibi, Domine.

In fine Evangelii respondet,

M. Laus tibi, Christe.

Post Evangelium.

S. Dominus vobiscum.

Digitized by Google

M. Et cum spiritu tuo.

S. Orate, fratres.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

S. Per omnia sæcula sæculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

M. Dignum et justum est.

Ad Corporis Domini Elevationem, pulsanda campanula; similiter, et ad Sanguinis Domini Elevationem.

Post Elevationem.

S. Per omnia sæcula sæculorum.

M. Amen.

S. Et ne nos indúcas in tentationem.

M. Sed libera nos à malo.

S. Per omnia sæcula sæculorum.

M. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Post Sanctæ Eucharistiæ sumptionem.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Per omnia sæcula sæculorum.

M. Amen.

Digitized by Google

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Ite, Missa est. *Vel* Benedicamus Domino.
M. Deo gratias.

Quando dicit Sacerdos.

Requiescant in pace
M. Amen.
S. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
M. Amen.
S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Initium sancti Evangelii secundùm Joannem, *(vel* Sequentia, *&c.)*
M. Gloria tibi, Domine.

In fine Evangelii semper respondet.

M. Deo gratias.

ORATIO DICENDA ANTE DIVINUM OFFICIUM.

APERI, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum. Munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis, et alienis cogitationibus. Intellectum illumina, affectum inflamma; ut dignè, attentè, ac devotè hoc Officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Digitized by Google

Domine, in unione illius divinæ intentionis, quâ ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa X. defectus et culpas in eo persolvendo, ex humanâ fragilitate contractas, indulsit.

SACROSANCTÆ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ semperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, et gloria ab omni creaturâ, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

Officium Parvum Beatæ Mariæ.

AD MATUTINUM.

Ave Maria, *secretò, quæ dicitur semper in principio omnium Horarum Beatæ Mariæ.*

AVE Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in horâ mortis nostræ. *Amen.*

Domine, labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

In fine Alleluia, *ad omnes Horas, per totum annum, præterquam à Septuagesimâ usque ad Sabbatum sanctum, cujus loco tunc dicitur:*
Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

Invitatorium.

AVE Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. *Repetitur.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

PSALMUS XCIV.

VENITE, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus fa-

Digitized by Google

ciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes Deos; quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

Dominus tecum.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus. Venite, adoremus et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea.

Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde. Ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

Dominus tecum.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Digitized by Google

Hymnus.

QUEM terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater munere,
Cujus supernus Artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausùs est.

Beata cœli nuntio,
Fœcunda Sancto Spiritu;
Desideratus Gentibus,
Cujus per alvum fusùs est.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Tres Psalmi sequentes dicuntur die Dominicâ, Feriâ ii. et v. ad Nocturnum.

Antiphona. Benedicta tu.

PSALMUS VIII.

DOMINE Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!
Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

Digitized by Google

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos; ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum; lunam et stellas, quæ tu fundâsti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloriâ et honore coronâsti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Antiphona. Sicut myrrha.

PSALMUS XVIII.

CŒLI enarrant gloriam Dei; et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum; et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum; et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo,

Digitized by Google

Exultavit ut gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum; et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; et emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei; et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus et redemptor meus.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix.

Antiphona. Ante torum.

PSALMUS XXIII.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Digitized by Google

Quia ipse super maria fundavit eum; et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, et misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales; et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales; et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Diffusa est gratia in labiis tuis.

Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster, *cum Lectionibus et reliquis, ut infrà.*

Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria iii. et vi. ad Nocturnum.

Antiphona. Specie tuâ.

Digitized by Google

PSALMUS XLIV.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

Specie tuâ, et pulchritudine tuâ: intende, prosperè procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis; ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum; quo-

Digitized by Google

niam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitiâ et exultatione: adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Specie tuâ et pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, et regna.

Antiphona. Adjuvabit eam.

PSALMUS XLV.

DEUS noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dùm turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam Deus manè diluculo.

Digitized by Google

Conturbatæ sunt Gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma; et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terrâ.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Antiphona. Sicut lætantium.

PSALMUS LXXXVI.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in eâ; et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum; horum, qui fuerunt in eâ.

Digitized by Google

Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Sicut lætantium omnium nostrûm habitatio est in te, sancta Dei genitrix.

Diffusa est gratia in labiis tuis.

Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster, *cum Lectionibus et reliquis, ut infrà.*

Tres Psalmi sequentes dicuntur Feriâ iv. et Sabbato, ad Nocturnum.

Antiphona. Gaude, Maria virgo.

PSALMUS XCV.

CANTATE Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis; terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ Gentium, afferte Domino gloriam et honorem; afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Digitized by Google

Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra; commoveatur mare, et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit; quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate suâ.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Antiphona. Dignare me.

PSALMUS XCVI.

DOMINUS regnavit: exultet terra, lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus; justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus; et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia; et qui gloriantur in simulacris suis.

Digitized by Google

Adorate eum, omnes Angeli ejus: audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Dignare me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos.

Antiphona. Post partum.

In Adventu.

Antiphona. Angelus Domini.

PSALMUS XCVII.

CANTATE Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

Digitized by Google

Jubilate Deo omnis terra; cantate, exultate, et psallite.

Psallite Domino in citharâ, in citharâ et voce psalmi; in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini; quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitiâ, et populos in æquitate.

Gloria Patri, et Filio.

Antiphona. Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei genitrix, intercede pro nobis.

In Adventu.

Antiphona. Angelus Domini nuntiavit Mariæ; et concepit de Spiritu Sancto. Alleluia.

Diffusa est gratia in labiis tuis.

Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster. *Secretò.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Absolutio.

PRECIBUS et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. *Amen.*

Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. *Amen.*

Digitized by Google

Sequentes Lectiones dicuntur à Nativitate Domini usque ad Adventum.

LECTIO I. *Eccli.* xxiv.

IN omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium; et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israël hæreditare, et in electis meis mitte radices. Tu autem, Domine, miserere nobis.

Deo gratias.

Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio. * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Quia quem.

Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. *Amen.*

LECTIO II.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem, Domine.

Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portâsti Creatorem mundi. * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo.

Digitized by Google

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Genuisti.

Quando dicitur Te Deum laudamus, *assumitur in fine hujus Responsorii:*

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo.
Jube, Domne, benedicere.
Benedictio. Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. *Amen.*

LECTIO III.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho; quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autem, Domine.

Sequens Responsorium omittitur, quando dicitur Te Deum laudamus.

Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima. * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.
Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.
Quia ex te.

Digitized by Google

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Christus Deus noster.

Sequens Hymnus, Te Deum, *non dicitur in Adventu, neque à Septuagesimâ usque ad Pascha, nisi in festis beatæ Mariæ.*

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi cœli, et universæ potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim, incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli et terra majestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,
Patrem immensæ majestatis,
Venerandum tuum verum et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ, Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.

Digitized by Google

Tu ad dexteram Dei sedes, in gloriâ Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Æternâ fac cum Sanctis tuis in gloriâ numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, et extolle illos, usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in æternum.

In Adventu.

Absolutio. Precibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. *Amen.*

Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria. *Amen.*

LECTIO. I. *Lucæ* i.

MISSUS est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat

Digitized by Google

Joseph, de domo David; et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus, ad eam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem, Domine, miserere nobis.

Deo gratias.

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum; et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria; invenisti gratiam apud Dominum. * Ecce concipies, et paries; et vocabitur Altissimi Filius.

Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.

Ecce concipies, et paries; et vocabitur Altissimi Filius.

Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. *Amen.*

LECTIO II.

QUÆ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum; et regni ejus non erit finis. Tu autem, Domine, miserere nobis.

Deo gratias.

Digitized by Google

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. * Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei:

Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.

Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Per Virginem matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. *Amen.*

LECTIO III.

DIXIT autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Tu autem, Domine, miserere nobis.

Deo gratias.

Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies, et paries Deum pariter et hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

Digitized by Google

Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta.

Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

AD LAUDES.

DEUS, in adjutorium meum intende.

Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Assumpta est.

In Adventu, et in die Annuntiationis Beatæ Mariæ.

II. *Antiphona.* Missus est.

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Purificationem inclusivè.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium.

PSALMUS XCII.

DOMINUS regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Digitized by Google

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : à sæculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris ; mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibĭlia facta sunt nimis : domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Assumpta est Maria in cœlum : gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Antiphona. Maria Virgo.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Antiphona. Ave Maria.

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Purificationem inclusivè.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est ; et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Antiphona. Quando natus es.

Digitized by Google

PSALMUS XCIX.

JUBILATE Deo, omnis terra; servite Domino in lætitiâ.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus: in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Antiphona. In odorem.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

Antiphona. Ne timeas.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ. Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum. Te laudamus, Deus noster.

Digitized by Google

Antiphona. Rubum quem viderat.

PSALMUS LXII.

DEUS, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

In terrâ desertâ, et inviâ, et inaquosâ; sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vitâ meâ: et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo; adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ; tradentur in manus gladii; partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo; quia obstructum est os loquentium iniqua.

Hîc non dicitur Gloria Patri.

PSALMUS LXVI.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Digitized by Google

Ut cognoscamus in terrâ viam tuam; in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes; quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* In odorem unguentorum tuorum currimus; adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Antiphona. Benedicta filia.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

Antiphona. Dabit ei Dominus.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Antiphona. Germinavit radix Jesse

Digitized by Google

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

Danielis iii.

BENEDICITE, omnia opera Domini, Domino; laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino: benedicite, cœli, Domino.

Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: benedicite, stellæ cœli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino: benedicite, frigus et æstus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino: benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebræ, Domino: benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum; laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Domino: benedicite, universa germinantia in terrâ, Domino.

Benedicite, fontes, Domino: benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite, omnes volucres cœli, Domino.

Digitized by Google

Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino: benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israël Dominum; laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino: benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misaël, Domino; laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu; laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli; et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Hic non dicitur Gloria Patri.

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* Benedicta filia tu à Domino; quia per te fructum vitæ communicavimus.

Antiphona. Pulchra es.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

Antiphona. Ecce ancilla Domini.

A vigilia Nativitatis.

III. *Antiphona.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus, Deus noster.

Digitized by Google

Antiphona. Ecce Maria.

PSALMUS CXLVIII.

LAUDATE Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen.

Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terrâ, dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum; quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles; ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora; serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi; principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini; quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram; et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus; filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

Digitized by Google

Hic non dicitur Gloria Patri.

PSALMUS CXLIX.

CANTATE Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesiâ sanctorum.

Lætetur Israël in eo qui fecit eum; et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro; in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo; et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in glorià; lætabuntur in cubilibus suis.

Exultationes Dei in gutture eorum; et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Gloria Patri.

PSALMUS CL.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus; laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus; laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ; laudate eum in psalterio et citharâ.

Laudate eum in tympano et choro; laudate eum in chordis et organo.

Digitized by Google

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis; omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* Pulchra es et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

Post Purificationem usque ad Adventum, et à vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Purificationem inclusivè.

I. III. *Capitulum.* Cant. vi.—Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt eam.

Deo gratias.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ xi.—Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum Spiritus Domini.

Deo gratias.

Digitized by Google

Hymnus.

O GLORIOSA Virginum,
Sublimis inter sidera;
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.

Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Benedicta tu in mulieribus.
Et benedictus fructus ventris tui.

℣. Benedictus.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Beata Dei genitrix.

Tempore Paschali.

Antiphona. Regina cœli.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus.

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Purificationem inclusivè.

Digitized by Google

III. *Antiphona.* Mirabile mysterium.

CANTICUM ZACHARIÆ.

Lucæ i.

BENEDICTUS Dominus Deus Israël; quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate et justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus; in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri; in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio.

Digitized by Google

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti; sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu.

Tempore Paschali.

Antiphona. Regina cœli lætare, alleluia: quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit sicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus in te descendet, Maria. Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Purificationem inclusivè.

Digitized by Google

III. *Antiphona.* Mirabile mysterium declaratur hodiè: innoventur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit, permansit, et quod non erat, assumpsit; non commixtionem passus, neque divisionem.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

Pro Sanctis.

I. III. *Antiphona.* Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostrâ omniumque salute.

Lætamini in Domino, et exultate justi.
Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

PROTEGE, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva.

Digitized by Google

Omnes Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent, ut dùm eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus; et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesiâ tuâ cunctam repelle nequitiam. Iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone; benefactoribus nostris sempiterna bona retribue; et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.—Pro Sanctis.

Antiphona. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo; et erit in die illâ lux magna. Alleluia.

Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster, cum

Digitized by Google

omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Si terminandum sit Officium, dicuntur ea quæ sequuntur; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ,

Pater noster. *Totum secretò.*

Dominus det nobis suam pacem.

Et vitam æternam. *Amen.*

Deindè flexis genibus, dicitur una ex sequentibus Antiphonis; et in fine.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Amen.*

Post Purificationem, usque ad Feriam quintam in Cœnâ Domini exclusivè.

Antiphona.

AVE Regina cœlorum,
Ave Domina Angelorum
Salve radix, salve porta,
Ex quâ mundo lux est orta.
Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale, ô valdè decora,
Et pro nobis Christum exora.

Digitized by Google

Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oratio.

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium; ut qui Sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tempore Paschali, usque ad Octavam Pentecostes exclusivè.

Antiphona.

REGINA cœli, lætare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum. Alleluia.
Gaude et lætare, Virgo Maria, Alleluia.
Quia surrexit Dominus verè. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, mundum lætificare dignatus es; præsta, quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Ab Octavâ Pentecostes, usque ad Adventum exclusivè.

Antiphona.

SALVE Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te

Digitized by Google

clamamus, exules filii Evæ. Ad te suspiramus, gementes, et flentes, in hâc lacrymarum valle. Eja ergò, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparâsti; da ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ intercessione, ab instantibus malis et à morte perpetuâ liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

A Dominicâ primâ Adventûs, usque ad Purificationem inclusivè.

Antiphona.

ALMA Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti
Surgere qui curat populo; tu quæ genuisti,
Naturâ mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo priùs ac posteriùs, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adventu.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

Digitized by Google

Et concepit de Spiritu Sancto.

Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Post Nativitatem.

Post partum Virgo inviolata permansisti.
Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, Beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *Amen.*

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Amen.*

AD PRIMAM.

Ave Maria, &c. p. 326.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Digitized by Google

Hymnus.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* Assumpta est.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Missus est Gabriel.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium.

PSALMUS LIII.

DEUS, in nomine tuo salvum me fac; et in virtute tuâ judica me.

Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversùm me, et fortes quæsierunt animam meam; et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me; et Dominus susceptor est animæ meæ.

Digitized by Google

Averte mala inimicis meis, et in veritate tuâ disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine; quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me; et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS LXXXIV.

BENEDIXISTI, Domine, terram tuam; avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.

Mitigâsti omnem iram tuam; avertisti ab irâ indignationis tuæ.

Converte nos, Deus, salutaris noster; et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos; et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius; ut inhabitet gloria in terrâ nostrâ,

Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.

Digitized by Google

Veritas de terrâ orta est, et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum,

Justitia ante eum ambulabit, et ponet in viâ gressus suos.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXVI.

LAUDATE Dominum, omnes gentes; laudate eum, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem.

I. *Antiphona.* Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est; et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Digitized by Google

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Cant. vi.—Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Deo gratias.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ 7.—Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Deo gratias.

Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Post Purificationem, usque ad Adventum.

Oratio.

I. DEUS, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in quâ habitares, eligere dignatus es; da, quæsumus, ut suâ nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Digitized by Google

Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.

Oratio.

II. DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Purificationem inclusivè.

Oratio.

III. DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Do-

Digitized by Google

minum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

AD TERTIAM.

Ave Maria, &c

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Hymnus.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,

Digitized by Google

Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Maria Virgo.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ave Maria.

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

III. *Antiphona.* Quando natus es.

PSALMUS CXIX.

AD Dominum, cùm tribularer, clamavi; et exaudivit me.

Domine, libera animam meam à labiis iniquis, et à linguâ dolosâ.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXX.

LEVAVI oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum et terram.

Digitized by Google

Non det in commotionem pedem tuum; neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXI.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini; testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.

Quia illuc sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt, Jerusalem, et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tuâ, et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, loquebar pacem de te.

Digitized by Google

Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

III. *Antiphona.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Eccli. xiv.—Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.

Deo gratias.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ xi.—Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

Digitized by Google

Deo gratias.
Diffusa est gratia in labiis tuis.
Propterea benedixit te Deus in æternum.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

℣. Oratio.

I. III. DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæculùa sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.

℣. Oratio.

II. DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus

Digitized by Google

tuis, ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudì orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

AD SEXTAM.

Ave Maria, &c.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Hymnus.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* In odorem.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ne timeas.

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

III. *Antiphona.* Rubum quem viderat.

PSALMUS CXXII.

AD te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri; quia multùm repleti sumus despectione.

Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXIII.

NISI quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos.

Digitized by Google

Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransîsset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXIV.

QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus; et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum; ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* In odorem unguentorum tuo-

Digitized by Google

rum carrinis; adolescentulæ dilexerunt te nimis.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

III. *Antiphona.* Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Eccli. xxiv.—Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

Deo gratias.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Lucæ i.—Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

Benedicta tu in mulieribus.
Et benedictus fructus ventris tui.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Post Purificationem usque ad Adventum.

Oratio.

I. CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium; ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.

Oratio.

II. DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Digitized by Google

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini.

Oratio.

III. DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.— *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

AD NONAM.

Ave Maria, &c.

DEUS, in adjutorium meum intende.

Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Digitized by Google

Hymnus.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hostè protege,
Et mortis horâ suscipe.
Jesu, tibi sit gloriâ,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Pulchra es.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ecce ancilla.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Ecce Maria.

PSALMUS CXXV.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Digitized by Google

Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXVI.

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in portâ.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXVII.

BEATI omnes, qui timent Dominum; qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et benè tibi erit.

Digitized by Google

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Pulchra es et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Eccli. xxiv.—In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedi; quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris.

Deo gratias.

Digitized by Google

Post partum Virgo inviolata permansisti.
Dei Genitrix, intercede pro nobis.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ vii.—Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Deo gratias.
Angelus Domini nuntiavit Mariæ.
Et concepit de Spiritu Sancto.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Post Purificationem usque ad Adventum.

Oratio.

FAMULORUM tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce; ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.

Oratio.

II. DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

Oratio.

III. DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs

Digitized by Google

Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Preces pro Benefactoribus, vivis et defunctis,

recitandæ ad finem Nonæ in Officio Parvo B. Mariæ.

DOMINE, salvum fac Regem,

Et exaudi nos in die, quâ invocaverimus te.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Memento Congregationis tuæ,

Quam possedisti ab initio.

Fiat pax in virtute tuâ,

Et abundantia in turribus tuis.

Oremus pro benefactoribus nostris.

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. *Amen.*

Oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; te supplices exora-

Digitized by Google

mus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum, &c.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. *Amen.*

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

Retribuere dignare, Domine, benefactoribus nostris, vivis atque defunctis, vitam æternam. *Amen.*

AD VESPERAS.

Ave Maria, &c.

DEUS, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Dùm esset Rex.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Missus est Gabriel.

Digitized by Google

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium.

PSALMUS CIX.

DIXIT Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terrâ multorum.

De torrente in viâ bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Dùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Antiphona. Læva ejus.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Digitized by Google

Antiphona. Ave Maria.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est; et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Antiphona. Quando natus es.

PSALMUS CXII.

LAUDATE, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ?

Suscitans à terrâ inopem, et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Læva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me.

Digitized by Google

Antiphona. Nigra sum.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

Antiphona. Ne timeas.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

Antiphona. Rubum quem viderat Moyses.

PSALMUS CXXI.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini; testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illuc sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt, Jerusalem; et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tuâ, et abundantia in turribus tuis.

Digitized by Google

Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideò dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Antiphona. Jam hiems transiit.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

Antiphona. Dabit ei Dominus.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Antiphona. Germinavit radix Jesse.

PSALMUS CXXVI.

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.

Digitized by Google

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in portâ.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: surge, amica mea, et veni.

Antiphona. Speciosa facta es.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

Antiphona. Ecce ancilla Domini.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus, Deus noster.

Antiphona. Ecce Maria.

PSALMUS CXLVII.

LAUDA, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem; et adipe frumenti satiat te.

Digitized by Google

Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi; et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundùm verbum tuum.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Eccles. xxiv.—Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad

Digitized by Google

futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

Deo gratias.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ xi.—Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Deo gratias.

Hymnus.

AVE maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,

Digitized by Google

Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. *Amen.*

Diffusa est gratia in labiis tuis.
Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Beata Mater.

Tempore Paschali.

Antiphona. Regina cœli.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus.

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Magnum hæreditatis.

CANTICUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Lucæ i.

MAGNIFICAT anima mea Dominum.
Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus.

Digitized by Google

Et misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros; Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Tempore Paschali.

Antiphona. Regina cœli lætare, alleluia: quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit sicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

Domine, exaudí orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corpo-

Digitized by Google

ris sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas: habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini.

III. *Antiphona.* Magnum hæreditatis mysterium! templum Dei factus est uterus nesciens virum: non est pollutus ex eâ carnem assumens. Omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.

Digitized by Google

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

Pro Sanctis.

I. III. *Antiphona.* Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostrâ omniumque salute.

Lætamini in Domino, et exultate justi.
Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

PROTEGE, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum, patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent, ut, dùm eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus; et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesiâ tuâ cunctam repelle nequitiam; iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone; benefactoribus nostris, sempiterna bona retribue; et

Digitized by Google

omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

In Adventu.—Pro Sanctis.

II. *Antiphona.* Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo; et erit in die illâ lux magna. Alleluia.

Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica; ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, cum omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Digitized by Google

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Amen.*

AD COMPLETORIUM.

Ave Maria, &c.

CONVERTE nos, Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus, in adjutorium meum intende.
Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.* Alleluia.

PSALMUS CXXVIII.

SÆPE expugnaverunt me à juventute meâ, dicat nunc Israël.
Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ; etenim non potuerunt mihi.
Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem suam.
Dominus justus concidit cervices peccatorum; confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.
Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquàm evellatur, exaruit.
De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.
Et non dixerunt qui præteribant: Benedic-

Digitized by Google

tio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXX.

DOMINE, non est exaltatum cor meum; neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam; sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre suâ, ita retributio in animâ meâ.

Digitized by Google

Speret Israël in Domino, ex hoc nunc, et usque in sæculum.
Gloria Patri, et Filio.

Hymnus.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini usque ad Adventum.

I. III. *Capitulum.* Eccli. xxiv.—Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.
Deo gratias.
Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In Adventu.

II. *Capitulum.* Isaiæ vii.—Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Digitized by Google

Deo gratias.
Angelus Domini nuntiavit Mariæ.
Et concepit de Spiritu Sancto.

Post Purificationem usque ad Adventum.

I. *Antiphona.* Sub tuum præsidium.

Tempore Paschali.

Antiphona. Regina cœli, lætare. Alleluia.

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus.

A vigiliâ Nativitatis Domini, &c.

III. *Antiphona.* Magnum hæreditatis.

CANTICUM SIMEONIS.
Lucæ ii.

NUNC dimittis servum tuum, Dominè, secundùm verbum tuum, in pace:
Quia viderunt oculi mei salutare tuum,
Quod parâsti ante faciem omnium populorum;
Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.
Gloria Patri, et Filio.

Post Purificationem, &c.

I. *Antiphona.* Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Digitized by Google

Tempore Paschali.

Antiphona.

REGINA cœli, lætare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum. Alleluia.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

BEATÆ et gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, quæsumus, Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Benedictio. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

In Adventu.

II. *Antiphona.* Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas; habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Digitized by Google

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Benedictio. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

A vigiliâ Nativitatis Domini, usque ad Purificationem inclusivè.

III. *Antiphona.* Magnum hæreditatis mysterium! templum Dei factus est uterus nesciens virum: non est pollutus ex eâ carnem assumens. Omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Kyrie eleïson.

Digitized by Google

Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Benedictio. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Deinde, flexis genibus, dicitur una ex Antiphonis positis post Laudes, pro tempore, cum Versiculo et Oratione, et dicto Versu, Divinum auxilium, *dicitur secretò,* Pater noster, Ave Maria, *et* Credo.

Digitized by Google

Officium Defunctorum.

AD VESPERAS.

Absolutè incipitur ab Antiphonâ, Placebo Domino.

PSALMUS CXIV.

DILEXI, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi; et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis; et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni; et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam; misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere, anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino in regione vivorum.

In fine omnium Psalmorum, dicitur:

Requiem æternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Antiphona. Placebo Domino in regione vivorum.

Antiphona. Hei mihi, Domine.

Digitized by Google

PSALMUS CXIX.

AD Dominum, cùm tribularer, clamavi; et exaudivit me.

Domine, libera animam meam à labiis iniquis, et à linguâ dolosâ.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, et Filio.

Requiem æternam.

Antiphona. Hei mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Antiphona. Dominus custodit te.

PSALMUS CXX.

LEVAVI oculos meos in montes, undè veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum; neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Digitized by Google

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Requiem æternam.

Antiphona. Dominus custodit te ab omni malo; custodiat animam tuam Dominus.

Antiphona. Si iniquitates.

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus; speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam.

Antiphona. Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Antiphona. Opera.

Digitized by Google

PSALMUS CXXXVII.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum, psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordiâ tuâ, et veritate tuâ; quoniam magnificâsti super omne, nomen sanctum tuum.

In quâcumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in animâ meâ virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ; quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini; quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta à longè cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine, misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam.

Antiphona. Opera manuum tuarum, Domine, ne despicias.

Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Ad Magnificat.

Antiphona. Omne quod dat mihi Pater, ad

Digitized by Google

me veniet; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Magnificat, *ut suprà, pag.* 394.

Preces infrascriptæ dicuntur, flexis genibus; similiter et ad Laudes.

Pater noster. *Secretò.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

PSALMUS CXLV.

LAUDA, anima mea, Dominum: laudabo Dominum in vitâ meâ: psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus; in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus! spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula; Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.

Digitized by Google

Cujus loco ad Laudes dicitur Psalmus. De profundis, *ut suprà, pag.* 408, *qui Psalmi non dicuntur in die omnium fidelium Defunctorum.*

In fine Psalmi. Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Deindè. A portâ inferi.

Erue, Domine, animas eorum.

Requiescant in pace. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEUS, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos Pontificali, seu sacerdotali, fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Amen.*

In die verò Commemorationis omnium Fi-

Digitized by Google

delium Defunctorum, quando dicitur hæc ultima tantùm Oratio, dicitur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

In die depositionis defuncti.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. ut defunctus sæculo, tibi vivat, et quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum.

Si fuerit femina, dicatur animam famulæ tuæ N. ut defuncta.

In Anniversario die.

Oratio.

DEUS, indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum nostrum.

Si pro uno tantùm fit anniversarium, dicitur in singulari numero.

Pro uno Episcopo defuncto.

Oratio.

DEUS, qui inter Apostolicos sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere; præsta, quæsumus, ut eorum

Digitized by Google

quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum.

Si fuerit Sacerdos, dicitur Sacerdotali fecisti, *&c.*

Pro fratribus verò et familiaribus vel benefactoribus, dicitur Oratio. Deus veniæ largitor *ut suprà, pag.* 411.

Pro patre et matre.

Oratio.

DEUS, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumque peccata dimitte; meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum.

Si fit pro pluribus, dicatur animabus parentum nostrorum; *et ubi dicitur* meque, *dicatur* nosque.

Si pro patre tantùm, dicatur animæ patris mei *vel* nostri.

Si pro matre tantùm, dicatur animæ matris meæ, *vel* nostræ.

Pro uno defuncto.

Oratio.

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Digitized by Google

Pro unâ defunctâ.

Oratio.

QUÆSUMUS, Domine, pro tuâ pietate miserere animæ famulæ tuæ; et à contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum.

Requiem æternam dona eis, Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
Requiescant in pace. *Amen.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

REGEM, cui omnia vivunt, * Venite adoremus.

Psalmus 94.—Venite exultemus, *ut suprà, pag.* 326; *et in fine,*

Requiem æternam dona eis, Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

Hoc invitatorium dicitur tantùm in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, et in die depositionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Antiphonæ duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantùm unum Nocturnum cum Laudibus, hoc ordine: Feria ii. et v. primum Nocturnum; Feria iii. et vi. secundum Nocturnum; Feria iv. et Sabbato, tertium Nocturnum.

In 1. *Nocturno. Pro Feria ii. et v.*

Digitized by Google

Antiphona. Dirige.

PSALMUS V.

VERBA mea auribus percipe, Domine; intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus.

Quoniam ad te orabo, Domine, manè exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus; neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.

Domine, deduc me in justitiâ tuâ; propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolosè agebant: judica illos, Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos; quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te; in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Digitized by Google

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronâsti nos.

Requiem æternam.

Antiphona. Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.

Antiphona. Convertere.

PSALMUS VI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu, Domine, usquequò?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac, propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam suscepit.

Digitized by Google

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur et erubescant valdè velociter.

Requiem æternam.

Antiphona. Convertere, Domine, et eripe animam meam: quoniam non est in morte, qui memor sit tui.

Antiphona. Ne quando.

PSALMUS VII.

DOMINE, Deus meus, in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Nequando rapiat, ut leo, animam meam; dùm non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis;

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terrâ vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge, Domine, in irâ tuâ; et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandâsti; et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundùm justitiam meam, et secundùm innocentiam meam super me.

Digitized by Google

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et patiens; numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus; et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundùm justitiam ejus; et psallam nomini Domini Altissimi.

Rèquiem æternam.

Antiphona. Nequando rapiat, ut leo, animam meam; dùm non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

A portâ inferi.

Erue, Domine, animas eorum.

Pater noster. *Totum secretò.*

Lectiones leguntur sine Absolutione, Benedictionibus, et Titulo.

LECTIO I. *Job. vii.*

PARCE mihi, Domine; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor

Digitized by Google

tuum? Visitas eum diluculo; et subitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam? Peccavi. Quid faciam tibi, ô Custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce, nunc in pulvere dormiam; et si manè me quæsieris, non subsistam.

Lectiones terminantur sine Tu autem, *vel aliâ conclusione.*

Credo quod Redemptor meus vivit; et in novissimo die de terrâ surrecturus sum. * Et in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.

Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt.

Et in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.

LECTIO II. *Job x.*

TÆDET animam meam vitæ meæ, dimittam adversùm me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnare; indica mihi cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fece-

Digitized by Google

rim, cum sit nemo qui de manu tuâ possit eruere.

Qui Lazarum resuscitâsti à monumento fœtidum; * Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiæ.

Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Tu eis, Domine.

LECTIO III. *Job. x.*

MANUS tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu; et sic repentè præcipitas me! Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulâsti? Pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis compegisti me; vitam et misericordiam tribuisti mihi; et visitatio tua custodivit spiritum meum.

Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vitâ meâ.

Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dùm veneris judicare, noli me condemnare.

Quia peccavi.

Requiem æternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Quia peccavi.

Posteà ad Laudes, ut infrà, quando dicitur unum tantùm Nocturnum.

In ii. Nocturno. Pro Feria iii. et vi.

Digitized by Google

Antiphona. In loco pascuæ.

PSALMUS XXII.

DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

Nam, et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Parâsti in conspectu meo mensam, adversùs eos qui tribulant me.

Impinguâsti in oleo caput meum; et calix meus inebrians quam præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Requiem æternam.

Antiphona. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Antiphona. Delicta.

PSALMUS XXIV.

AD te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei; etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè.

Digitized by Google

Vias tuas, Domine, demonstra mihi; et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tuâ, et doce me; quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui totâ die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine; et misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas, ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam, memento mei tu; propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in viâ.

Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in viâ, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei; quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Digitized by Google

Vide humilitatem meam et laborem meum; et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Libera, Deus, Israël ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem.

Antiphona. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine.

Antiphona. Credo videre.

PSALMUS XXVI.

DOMINUS illuminatio mea et salus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dùm appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Digitized by Google

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo; in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petrâ exaltavit me; et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et psalmam dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, quâ clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam à me; ne declines in irâ à servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in viâ tuâ; et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me; quoniam insurrexerant in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini, in terrâ viventium.

Expecta Dominum; viriliter age, et confortetur cor tuum; et sustine Dominum.

Requiem æternam.

Digitized by Google

Antiphona. Credo videre bona Domini in terrâ viventium.

Collocet eos Dominus cum principibus.

Cum principibus populi sui.

Pater noster. *Totum secretò.*

LECTIO IV. *Job xiii.*

RESPONDE mihi: Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera mea et delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines; et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observâsti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerâsti; qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur à tineâ.

Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspiciat me visus hominis.

De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.

Nec aspiciat.

LECTIO V. *Job xiv.*

HOMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi

Digitized by Google

aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululùm ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

Hei mihi, Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserere mei, dùm veneris in novissimo die.

Anima mea turbata est valdè; sed tu, Domine, succurre ei.

Miserere mei.

LECTIO VI. *Job xiv.*

QUIS mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me; et abscondas me, donec pertranseat furor tuus; et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerâsti; sed parce peccatis meis.

Ne recorderis peccata mea, Domine. * Dùm veneris judicare sæculum per ignem.

Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.

Dùm veneris.

Digitized by Google

Requiem æternam.

Dùm veneris.

Posteà ad Laudes, ut infrà, quando dicitur unum tantùm Nocturnum.

In 3 *Nocturno. Pro Feria iv. et Sabbato.*

Antiphona. Complaceat.

PSALMUS XXXIX.

EXPECTANS expectavi Dominum, et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas; et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis.

Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt; et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus; et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua; et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulâsti; tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut face-

Digitized by Google

rem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesiâ magnâ: ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam, à concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei; et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus solicitus est mei.

Adjutor meus et protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris.

Digitized by Google

Requiem æternam.

Antiphona. **Complaceat tibi, Domine, ut eripias me: Domine, ad adjuvandum me respice.**

Antiphona. **Sana, Domine.**

PSALMUS XL.

BEATUS qui intelligit super egenum et pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terrâ; et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versâsti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur; cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.

Adversùm me susurrabant omnes inimici mei; adversùm me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversùm me: numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Digitized by Google

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me; et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me; quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti; et confirmâsti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam.

Antiphona. Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi.

Antiphona. Sitivit.

PSALMUS XLI.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dùm dicitur mihi quotidiè: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est:

Digitized by Google

propterea memor ero tui de terrâ Jordanis, et Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui, super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dùm affligit me inimicus?

Dùm confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dùm dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei et Deus meus.

Requiem æternam.

Antiphona. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Domini?

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster. *Totum secretò.*

LECTIO VII. *Job. xvii.*

SPIRITUS meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, et in amaritudini-

Digitized by Google

bus moratur oculus meus. Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus. Ubi est ergò nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat?

Peccantem me quotidiè et non me pœnitentem, timor mortis conturbat me. *Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, Deus, et salva me.

Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tuâ libera me.

Quia in inferno.

LECTIO VIII. *Job xix.*

PELLI meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me. Quarę persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbî laminâ, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle meâ, et in carne

Digitized by Google

meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Domine, secundùm actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi: ideò deprecor majestatem tuam, * Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam.

Ampliùs lava me, Domine, ab injustitiâ meâ, et à delicto meo munda me.

Ut tu, Deus.

LECTIO IX. *Job. x.*

QUARE de vulvâ eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergò me, ut plangam paululùm dolorem meum; antequàm vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregisti, et visitâsti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te, * Qui erant in pœnis tenebrarum.

Clamantes, et dicentes: Advenisti, Redemptor noster.

Qui erant in pœnis tenebrarum.

Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Digitized by Google

Qui erant in pœnis tenebrarum.

Et dicitur semper in Feriali Officio. Sequens Responsorium dicitur solùm in die Defunctorum, et quando dicuntur tres Nocturni.

Libera me, Domine, de morte æternâ, in die illâ tremendâ, * Quando cœli movendi sunt et terra, * Dùm veneris judicare sæculum per ignem.

Tremens factus sum ego et timeo, dùm discussio venerit atque ventura ira.

Quando.

Dies illa, dies iræ, calamitatis, et miseriæ, dies magna et amara valdè.

Dùm veneris.

Requiem æternam.

Libera me, *usque ad primum versum.*

AD LAUDES.

Absolutè incipitur ab Antiphonâ, Exultabunt Domino.

PSALMUS L.

MISERERE mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate meâ, et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Digitized by Google

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptùs sum; et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam; et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tuâ; et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui; et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas; et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ; et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benignè fac, Domine, in bonâ voluntate tuâ Sion; ut ædificentur muri Jerusalem.

Digitized by Google

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.

Requiem æternam.

Antiphona. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Antiphona. Exaudi, Domine.

PSALMUS LXIV.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaùdi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos; et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domûs tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longè.

Præparans montes in virtute tuâ, accinctus potentiâ; qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur Gentes, et timebunt qui habitant terminos, à signis tuis: exitus matutini et vespere delectabis.

Visitâsti terram, et inebriâsti eam; multiplicâsti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parâsti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.

Digitized by Google

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem æternam.

Antiphona. Exaudi, Domine, orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Antiphona. Me suscepit.

PSALMUS LXII.

DEUS, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.

In terrâ desertâ, inviâ, et inaquosâ, sic in sancto apparui tibi; ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vitâ meâ; et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo,

Digitized by Google

adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo; quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMUS LXVI.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terrâ viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam.

Antiphona. Me suscepit dextera tua, Domine.

Antiphona. A portâ inferi.

CANTICUM EZECHIÆ. *Isaiæ xxxviii.*

EGO dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi.

Digitized by Google

Quæsivi residuum annorum meorum; dixi: Non videbo Dominum Deum in terrâ viventium.

Non aspiciam hominem ultrà, et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et convoluta est à me, quasi tabernacula pastorum.

Præcisa est velut à texente vita mea; dùm adhuc ordirer, succîdit me: de manè usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad manè; quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De manè usque ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me: quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritûs mei, corripies me, et vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et

Digitized by Google

ego hodiè: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac; et psalmos nostros cantabimus, cunctis diebus vitæ nostræ, in domo Domini.

Requiem æternam.

Antiphona, A portâ inferi erue, Domine, animam meam.

Antiphona. Omnis spiritus.

PSALMUS CXLVIII.

LAUDATE Dominum de cœlis; laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen.

Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terrâ, dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles; ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora; serpentes, et volucres pennatæ.

Digitized by Google

Reges terræ, et omnes populi: principes, et omnes judices terræ.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram; et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

PSALMUS CXLIX.

CANTATE Domino canticum novum; laus ejus in ecclesiâ sanctorum.

Lætetur Israël in eo qui fecit eum, et filiæ Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloriâ; lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

PSALMUS CL.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus; laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Digitized by Google

Laudate eum in virtutibus ejus; laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ; laudate eum in psalterio et citharâ.

Laudate eum in tympano et choro; laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Requiem æternam.

Antiphona. Omnis spiritus laudet Dominum.

Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Antiphona. Ego sum resurrectio.

CANTICUM ZACHARIÆ. *Lucæ i.*

BENEDICTUS Dominus Deus Israël; quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris; et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

Digitized by Google

In sanctitate et justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam.

Antiphona. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.

Preces infrà scriptæ, in Ferialibus diebus dicuntur, flexis genibus:

Pater noster. *Secretò.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Digitized by Google

Sustinuit anima mea in verbo ejus; speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam.

A portâ inferi.

Erue, Domine, animas eorum.

Requiescant in pace. *Amen.*

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Orationes ut in Vesperis, pag. 411, *&c.*

PSALMI QUI DICUNTUR AD VESPERAS IN DOMINICIS,

in Nativitate Domini cum suâ vigiliâ et octavâ,

Et in Festis Apostolorum & Evangelistarum;

item ii, qui, per totum annum, dicuntur ad Completorium.

PSALMUS CIX.

DIXIT Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Digitized by Google

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terrâ multorum.

De torrente in viâ bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CX.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo; in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus; et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hæreditatem Gentium: opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus; confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate.

Digitized by Google

Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXI.

BEATUS vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terrâ erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus; et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator, et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio; quia in æternum non commovebitur.

In memoriâ æternâ erit justus; ab auditione malâ non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus; non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi; cornu ejus exaltabitur in gloriâ.

Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, et Filio.

Digitized by Google

PSALMUS CXII.

LAUDATE, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ?

Suscitans à terrâ inopem, et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXIII.

IN exitu Israël de Ægypto, domûs Jacob de populo barbaro;

Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas ejus.

Mare vidit, et fugit; Jordanis conversus est retrorsùm.

Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsùm?

Montes exultâstis sicut arietes, et colles sicut agni ovium.

Digitized by Google

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordiâ tuâ, et veritate tuâ; nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit, fecit.

Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.

Benedixit domui Israël; benedixit domui Aaron.

Digitized by Google

Benedixit omnibus, qui timent Dominum; pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos; super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine; neque omnes, qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri, et Filio.

CANTICUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
Lucæ i.

MAGNIFICAT anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Digitized by Google

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros; Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, et Filio.

Sequentes Psalmi dicuntur ad Vesperas, in vigiliâ Nativitatis Domini.

Dixit Dominus. *pag.* 444.
Confitebor. *pag.* 445.
Beatus vir. *pag.* 446.
Laudate, pueri. *pag.* 447.

PSALMUS CXVI.

LAUDATE Dominum, omnes gentes; laudate eum, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, et Filio.
Magnificat, *pag.* 449.

Sequentes Psalmi dicuntur ad Vesperas in die Nativitatis Domini, et per totam Octavam ejusdem.

Dixit Dominus. *pag.* 444.
Confitebor. *pag.* 445.
Beatus vir. *pag.* 446.

PSALMUS CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Digitized by Google

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXXI.

MEMENTO, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domûs meæ, si ascendero in lectum strati mei;

Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephratâ, invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus; adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Digitized by Google

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam; pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari; et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri, et Filio.

Magnificat. *pag.* 449.

Sequentes Psalmi dicuntur ad Vesperas in Festis Apostolorum et Evangelistarum.

Dixit Dominus. *pag.* 444.

Laudate, pueri. *pag.* 447.

Digitized by Google

PSALMUS CXV.

CREDIDI, propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atriis domûs Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXV.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum; et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Digitized by Google

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXXVIII.

DOMINE, probâsti me, et cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longè; semitam meam et funiculum meum investigâsti.

Et omnes vias meas prævidisti; quia non est sermo in linguâ meâ.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua; tu formâsti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam.

Quò ibo à spiritu tuo? et quò à facie tuâ fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris;

Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me; et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Digitized by Google

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. |

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto; et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur; exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores; viri sanguinum, declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam; et super inimicos tuos tabescebam.

Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est; et deduc me in viâ æternâ.

Gloria Patri, et Filio.

Digitized by Google

Magnificat, *pag.* 449.

PSALMI

Qui dicuntur ad Completorium per totum annum.

PSALMUS IV.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ; in tribulatione dilatâsti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.

In pace in idipsum, dormiam et requiescam;

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

Digitized by Google

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS XXX.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum; in justitiâ tuâ libera me.

Inclina ad me aurem tuam; accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii; ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu; et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi; quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS XC.

QUI habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino; Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis,

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno,

A sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.

Digitized by Google

Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum; et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, et Filio.

PSALMUS CXXXIII.

ECCE nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini;

Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

Digitized by Google

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri, et Filio.

CANTICUM SIMEONIS.

Lucæ ii.

NUNC dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum, in pace:

Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

Quod parâsti ante faciem omnium populorum;

Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

Antiphona. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

Pater noster. *Secretò.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Credo in Deum. *Secretò.*

Carnis resurrectionem.

Vitam æternam. *Amen.*

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

Et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

Digitized by Google

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli.

Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

FINIS.

Liverpool: Excudebat R. Rockliff.

Digitized by Google